



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Christomachia Calvinistica, Et Sacramentariorum Omnium Vere Sathanica

Lindt, Willem van der

Coloniae, 1584

VD16 L 1925

III. Tertius de quotidiano agit Christi Do. sacrificio, cui salutarem illam victimam audacia Cyclopica tollere nituntur: qui est Anti-Sadelius, quo viginti Paralogismis Anton. Sadelij Sophistae ...

urn:nbn:de:hbz:466:1-30267

LIBER TERTIVS,
PRO QVOTIDIANO CHRIS-
TIANI SACRIFICII PRO-
pitiatorij vsu.

VT INSTITVTVM HOC AR-
mamentarium Calvinisticum, pro huius
temporis opportunitate instruamus, ad
Christianam accingamur quotidiani Sa-
crificij Catholicis vbiqve terrarum vsita-
ti defensionem, vt pios viros suorum voto-
rum faciamus compotes, aliqua saltem
ex parte, quantum quidem Deus
Opt. largiri in presentia-
rum dignabitur.

VEN.

VEN. VIRO ET FI-
LIO IN CHRISTI IESV BA-

*ptismate chariss. ac desideratissimo D.
Stephano Isaaco, Pastori Eccl.
B. Mariae Colonien.*

Salus & pax à Christo Iesu.

R Ermagno equidem gaudio
animum meum, fili chariss.
sensi in spiritu Christi Ihesu
delibutum, vbi tuam perle-
gisssem Apologiam contra quorundā
delationes, vti scribis, à vero alienas.
Maiorem enim hoc in tetrico breui-
culæ istius vitæ exilio nō habeo cum
S. illo Virgine Apostolo *χαρίν* gratiā
siue potiùs *χαράν*, gaudium, quam si
audiam filios meos in Apostolica &
orthodoxa Christi Iesu Nazareni Do.
nostri veritate ambulare.

Quod vt de te in posterum firmi-
us credā, tua facit Epistola nobis gra-
ta admodū ad nostram Vverdeca du-
dum datam responsoria.

Ex ea porrò plus mihi accreuit
L 4 gau-

gaudij verè Christiani, quod zelum tuum non vulgarem in fine aperis: quo te Calvinistis quibusdam scribis cum pijs aliquot viris tua pro virili iustitiam opposuisse, sed eo rem deductam, ut quidam tibi responderint, si Anthonij Sadelij contra Missam libellum solidis refutares argumentis, ad Catholicam Ecclesiam redire sese fore paratos. Porro totam huius rei historiam hic non fuerit abs re tuis verbis repetere.

Ante triennium cum quibusdam Comitibus, & magnis viris, quos propter beneficia in me collata, & singularem ipsorum modestiam & doctrinam libenter ad gremium Ecclesie Catholicae reduxissem, incidi in disputationem de Transubstantiatione, & Missa Dominica: Egi cum eis aliquot mensibus scripto, iuuabant me D. Petrus Brillmacherus Iesuita, necnon Decanus quidam Gandensis, qui postea ad nos se contulit, ac D. Theodorus Rephan, Pastor D. Laurentij. Postquam verò aliquot mensibus de hoc negotio, partim scripto, partim colloquijs

loquijs egissemus, prodijt in lucem li-
 bellus cuiusdam Anthonij Sadeelis,
 contra Missam conscriptus. Eum ita-
 que Comites prædicti mihi refutan-
 dum tradiderunt, addita solenni pro-
 missione, quod eo solidis argumen-
 tis refutato, ad Catholicam Ecclesi-
 am redire essent parati: Accinxi me la-
 bori, ac cum animaduernerem eius
 argumenta esse magna & docta, ne in-
 eptè soluendo plus nocerem, quam
 prodessem, accessi prædictum D. Lau-
 rentij Pastorem, & cum eo de refutan-
 do libello contuli. Itaque cum vide-
 remus nobis negotium esse cum do-
 cto & versuto homine, conuentum
 fuit, vt eum Domino N. in istis qua-
 sitionibus magis exercitato, & penè e-
 ducato traderemus refutandum. Pol-
 licitus ille est suam operam, sed cum
 refutationem differret, & Comites
 iam gloriari inciperent de victoria,
 factum est, vt eum importunius non-
 nunquam vt refutationem accelera-
 ret, monerem. Tandem igitur trien-
 nio elapso, prodijt D. N. refutatorius
 liber, sed non talis, qualis à multis ex-
 pecta-

pectabatur. Comites certè visis eius ad argumenta Sadeelis responsionib. tantum abest, vt secūdum prælitam promissionem, ad Ecclesiam Catholicam redeant, vt ab eo tempore magis in concepta opinione, confirmati fuerint. Adde quod & alij non indocti, multa dubia, vt & illi loquuntur, absurda, ex ijs responsionibus collegerunt. Quæ res me valdè sollicitum & perplexum reddit. Aliud certè à N. nostro, homine docto exspectassem. Videtur ille aduersarium nimis contempsisse, vnde factum puto, vt refutatio infœlicius ei cesserit. Itaq; cum res sit magni momenti, vnde multorum, qui Sadeelis libellum, & D. N. responsiones legerunt, salus, & mens propter prædictos Comites, & alios multos, honor dependeat, obnixè rogo, vt Reueren. D. T. ad refutationem eius se accingat. Est enim versata in hoc certaminis genere: & spatio duorum mensium respondere poterit.

Expecto auide Reuerend. D. Tus responsum, & voluntatem. Fecerit rem Deo gratam, & Ecclesie vtilem,

ac multis nutantibus salutarem. Ximenius noster, lecto illo libello, admiratus est hominis argumenta, & ingenium. Propterea talis aliquis responsor quærendus est, qui doctrina & ingenio sit superior. Rogo obnixè, vt Reuerend. D. T. suam sententiam mihi significare dignetur.

Hisce tuis pijs & votis, & precibus motus, laborem superiori Autumnno leui manu inchoatum, in manus, etsi occupatiss. reuocaui, si fortè vestris v. sui esse queat desiderijs, què vbi post labores grauiss. partim Busciducis, partim Vverdeæ in repurgando corruptiss. nostro Christi Dom. ouili interea exatlatos vidi, ei agnoui deesse quædam, alia pleniorè desiderare lucem, alia Sophisticis Sadelij hominis arguti Paralogismis, acutisq.ue annorum plurimorum elenchis prolixiorè poscere refutationem, dubius hæsi, an tuo nunc temporis facerem satis desiderio. Hinc instigabat alacritas animi, te in pio Christi Dom. negotio laborantē iuuādi: illinc deterrebat laboris nostri, si non inelaborati,

cet.

certè nondum satis pressi immaturitas.

Si ocium dedisset istud SS. Quadragesima tempus, vt valetudinario incommodum, ita grauissimis istius difficillimæ responsionis laboribus inimicum, haberes fortè, ni fallit nostri amor, quod placeret magis, aut euidentiùs illas nugas contereret sophisticas, falsis enim nituntur xx. Paralogismi isti Sadeliani sumptionibus, aut calumniosis fallere incautos conatur caullationibus. Etsi igitur plurima differendum suaderent, potiss. temporis breuitas (nam ad Dominicam Passionis Dominicæ tuas illas gratiss. accepi demum literas, vbi vix ex longo itinere Vvertens. & Buscoducens. respirassem) quam labores noui aduolantis Paschatis curandis reliquis Dom. Christo ouibus impendendos sibi postulabant, cui & maior itineris noui, grauis atq; longi mox à Paschate suscipiendi necessitas accedebat, tamen vicit tua in Christo pietas, vicit tui amor nō vulgaris. Is enim totum ferè octiduum mihi inuitissimo extorsit

torfit : quod aut de more maiorum
 precibus, aut alijs magis necessarijs
 huius immensi oneris pastoralis oc-
 cupationibus, reposita studiorum o-
 mnium cogitatione, statueram im-
 pendere. Recognito igitur, quantum
 ferebat & valetudo afflictior (cui cen-
 sura medicorum, accuratiores graui-
 orum studiorum labores sunt infesti,
 & certò exitiales) & temporis, quod
 surripere officijs diuinis, & Ecclesia-
 sticis negotijs dabatur, breuitas, no-
 stra Christomachia Calvinistica, quã
 superiori meditabamur Autumno;
 tum in manus sumpsi nostrum Sade-
 lium. Is quidem & dilucidior, &
 fortè accuratior desideret refuta-
 tionem, sed tempore, vt dixi, exclu-
 sus, & valetudine minus firma impe-
 ditus; denique negotijs moram non
 ferentibus districtus, plura modo re-
 spondere non sinebant. Si quid meri-
 tò desiderabitur (quod mihi dubium
 non fit, & nos requisiti non grauabi-
 mur quædam attexere, quæ piorum
 palato fortè faciãt satis. Habes doctos
 aliquot collegas, hac in re fideles sym-
 machos

machos, Christi spiritu & feruidos, & promptos, qui nostratia, etsi non plena tibi explebunt, breuiora explicabant, denique adiuuante Do. Christo promacho absoluēt, quod pia vestra desiderant vota, quorum vt Deus vos faciat compotes, nos pio nostro cum S. Moysse, compugnabimus: vt illi in quorum gratiam laborem hūc desideratis, ad mentem reuocati, ad Catholicam redeant Christi Iesu Ecclesiam.

Quem laborem Deo gratiss. atque Dom. Christo Ihesu, vnico Saluatori nostro desideratissimum, vt foeliciter conficiatis, faxit Deus omnipotens: qui vel de lapidibus filios Abrahæ, fidei nostræ Patriarchæ potest excitare. Pro quibus conuertendis, si & nos cum D. Paulo Apostolo gentili vestro Anathema fieri, optare auderemus, optimè nobiscum ageretur. Voluimus tamen hanc in rem, nostrum quasi symbolum conferre, quod habemus in præsens omnium præstantissimum: sed sub spe melioris & elaboratoris, si Deus Opt. o. ium in posterum

sterum largietur, sanamq; valetudinem.

Vnde illud disertè mihi cautum volo, vt in publicum non edatur, nisi doctis viris probetur, dignumq; censeatur, quod vel in manus hostium exeat, vti Reuerend. D.S. Th.D. Tongris, aut DD. Iac. Horstius. Alioquin ad me domum ex itinere longo reuersum volo remittendum, minime. que publicandum.

Censuram pistorum doctorum desiderat author ante publicationem.

Si cui placebit argutis in speciem, sed verè sophisticis Sadelij elenchis refutandis incumbere, facilius id fecerit, si manifestos aliquot hoc in libro eius obseruet calumnias, Christiano viro indignissimas, vt nihil de foedissimis modo dicam conuitijs in nos coniectis, aut blasphemijs Turcicis in Dom. Christum furiosè vibratis, ex quibus nunc obiter tibi commemorabo, quod ad sui tertij paralogismi confirmationem adferre non puduit, nos Catholicos docere, quod corpus Domini sanctificamus. fol 34.

Solida sophisticatum Sadelij confutatio vnde certo perenda.

Calunie Sadelij in catholicos manifestissima.

Nos

2. Nos rogare, vt corpus Domini p̄
 Angelos in cœlum deferatur, fol. 35.

3. Item vt corpus Domini Pater ha
 beat acceptum. fol. 34.

4. Item nos Catholicos in Missa ro
 gare, vt per Christū Deus pater Chri
 stum oblatum recipiat, fol. 32.

5. Denique stolidissime interrogat
 homo Turcico imbutus Spiritu. Si
 oblatio est corpus Domini; cur (inqt)
 rogatis vt fiat corpus Domini? Atqui
 si ante consecrationem doceremus
 esse corpus Domini, cur id à Deo pe
 teret Catholica Christi Iesu Ecclesia?

Talia passim occurrunt & nuga
 menta, & blasphema non argumen
 ta, sed sophismata non pauca, quę vel
 leuissima libri sacramentalis, siue S.
 Canonis inspectione suos in fines e
 uanescunt, veramq̄e fumi vmbra
 esse liqueat.

Vnde admodum difficilè non fue
 rit sophisticos Sadelij elēchos, prima
 quidem facie horridulos, & cornutis
 quasi argutorum Enthymematum
 gryphis infestos refellere: sed ijs qui
 vel mediocriter fuerint in solidis ve
 ræ

rae Theologiae principijs eruditi, atq;
in disputatrice Dialectica vtcunque à
teneris exercitati.

Cui autem illa, vt verè cum primis
aurea, ita omnium difficillima D. Pau-
li Apostoli ad Hebræos gentiles tuos
epistola fuerit ex solidis veterum Or-
thodoxorum PP. interpretationibus
satis cognita, videbit quàm insulsè ac
indoctè, ideoque fallaciter, imò verè
sophisticè (quid enim aliud sophista,
quam teste Aristot. veritatis fur) diui-
nis eius in suam, aliorumque perni-
ciem sententijs abutatur, atque à ve-
ro eas detorqueat sensu Sadelius, qui
se scholastici & Theologi titulo im-
peritis venditat lectoribus.

*Epistola diffi-
cillima ad He-
bræos Pauli-
na verè intel-
lecta fumos
Sadeliij osten-
dit doctis o-
mnium vani-
tiss.*

Sunt quidem hoc infoelicissimo no-
stro seculo nefariorum monstrorum fo-
cudissimo plurimi, quibus & hodie di-
uini spiritus S. Davidis ore clamat: Fi-
lij hominum vsque quo graui corde?
Vt quid diligitis vanitatē, & quæritis
mendacium? Sed inter istos verè infoe-
lices mendacium quærentes princi-
pem facile locum inueniat Sadelius
iste. Non desunt plurimi, prò dolor!

*Sadelium in-
ter illos infoe-
liciter excel-
lere, quos Spī-
ritus S. arguit
mendacium
querere.*

M qui

qui raucidas quæritant calumnias,
quibus Catholicam Domini Christi
Iesu Ecclesiam vexent, exagitent, ac
sua pro virili studeant labefactare, si
vnquam posset ruere tam firmo & im-

*Malignæ atq;
malitiosæ Sa-
delij in Catho-
licos sycophā-
tiæ.*

moto nixa fundamento Christo Iesu
Dei filio, eius sponso atque patrono,
sed qui malitiosas adeò, ac tam liqui-
dò suam contra conscientiam con-
fingant calumnias, vix equidem arbi-
tror inueniri: quibus iste sophisticus
cedat Antho. Sadelius. Quales sunt,
quod folio 34. scribere audet, Catho-
licos sese facere pro Christo Do. apud
Deum patrem Mediatorem.

Rursus quod Catholici in Sacrifi-
cio Christiano, Sanctorum merita
proferimus, vt Deus illam (inquit fo-
lio 34. Corporis Dominici oblationē
habeat acceptam. Hæc, atque similia
imperitis istius pestilentissimi Sade-
liani scripti Lectoribus deprehende-
re non erit vsque adeò facilè: sicuti &
rudioribus non admodum ita obui-
um propter obscuritatem diuinæ il-
lius ad Hebræos Epistolæ, paucis satis
perspicuè cognitam. Proinde tales
ad.

admonitos in Christo velim, ne audeant temerè hisce difficillimis disputationibus sese ingerere, aut oblatas etiam suscipere: cùm sint certissimi Sathanæ laquei, quibus indoctos si non capit, certè sauciat, lædit, ac dubios reddit, quemadmodum pridem doctissimus Tertullianus prudentissimè Catholicos sua ætate admonuit de fugiendis cum hæretico disputationibus. D. Paulus enim spiritu Sancto eruditus cautiores nos reddit, qui cum hæreticis non modo negat disputandum, aut longas texendas de rebus fidei controuersias: sed post vnam admonitionem (sic enim verius legitur in antiquissimis codicibus) deuitandum. Sermo enim eorum vt cancer serpit, qui contagioso carcinoma non modò audientes, sed ipsos adeò disputantes haud infrequenter, si non inficit, certè attingit, vt de non paucis huius sæculi haud indoctis hominibus pia mater deplorat Ecclesia.

*Cur imperitis
& in exercitiis
tioribus fugi-
enda cū hære-
ticis disputa-
tio.*

*Caluinistas
certò habent
dos hæreticos
quia superant
Arrianos sua
impietate in
christum Ie-
sum.*

Quod aut Caluinistæ imprimis in hoc
M 2 dam-

damnatissimo hæreticorum genere habendi sunt, ecquis dubitare queat, cui modo Arriani olim Christomachi tales habeantur.

Quod autem noua, immò renouata sua superstitione isti versipelles verum Arrianismum conantur in orbem reuocare, inde non obscure patet viris, vt manifestè impiam Caluini, Serueti, Bezæ, atque similiarum bularum hic taceamus doctrinam, quòd quibusdam Galliæ locis, vti certa relatione audiuius, nolunt eadè gloria filium Dei, & Spiritum Sanctum prædicare, qua Deum patrem. Illum enim. hymnū tota iam pridè ecclesia, ceu indubitatum aduersus Arrianorum Iudaizantium fraudes Pharmacum, à D. Damaso Psalmodiæ Christianæ additum, Gloria patri & filio, & Spiritui Sancto, Caluinistæ non patiuntur cani: neque ipsi suis in Sathanæ Synagogis aliquot locis canunt. Sic olim per Hispanias Arriani illum Hymnum aboleuerunt, & Catholicis Gallis hac de causa communicare noluerunt, quemadmodum liquet exemplo

plo illius Oppilæ Francorum ex Hispania, ad Chuldericum Francorum Regem legato, apud Gregorium Turonensem, libr. 6. cap. 40. Vbi habes doctissimam huius Episcopi contra illum Arrianorum legatum, Arrianū disputationem pro gloria Do. Christi Iesu, quòd eadem & pari gloria nobis est celebrandus, qua Deus pater. Quibus ex verbis pio Lectori perspicuum est, quanta impietate nostrates Calvinistæ suos impios maiores Arrianos modò superent, vt non sit difficile, hac ex præscriptione ipsos à Catholicorum finibus profigare, ne quis incautior dolosis ipsorum capiatu-
 atur verborum in speciem fucatorū laqueis. Cui enim persuasum est, Calvinistas veros esse Christomachos, & non exiguis partibus illis veteribus Arrianis magis in Dom. Iesum Christum Nazarenum impios, vt alibi ostendimus, illos Missæ sacrificium cōstanter nobiscum obtulisse, atq; pro mortuis orasse, pueros baptizasse, facile apud se statuet istis deploratis, imò degeneribus Arrianis fidem alijs

Oppila Francorum Legatus Arrianorum in Hispania ad Gallos Calvinist. Arrianizantib. non parum sanior.

Vide Panopliam de sacrificio.



in rebus controuersis habendam nō esse. Argutari quidem eos, & Philosophica ex Euclide, Aristotele, Categorijs, Metaphysicis, alijsque istius cœcæ philosophiæ myoparijs, & hallucinationibus, quas Sadelius suam iactitat *ρεποπαιδείαν* futiles eudere cōclusiunculas. sed veros tantum effundere indoctis fumos, imò vanissimas fumi vmbas, sicuti nunc prudentioribus lectorib. nos demonstrasse confidimus, istos scholastici Sadelij, vt sese venditat, syllogismos plus habere fumi, quàm ignis, quippè vanis Philosophorum nixos principijs, brutis à sensibus crassius Turcarum more petitos, denique falsis, imò vt verum agnoscas sophistam, manifestè calumniosis instructos, adeoque confictos mendacijs. Quod vt & tibi, & tuis illis Antagonistis fiat perspicuum, Dominum Christum Ihesum obnixius rogo.

Vnum illud in calce admonēdum duxi, vt his in rebus cum aduersarijs tractandis magis pijs fidas precibus, quam

quam aut ingenij acumini, aut huma-
næ industriæ, aut argutæ atque verbo-
sæ nedum rixosæ, aut contentiosæ di-
sputationi.

Christianè igitur, placidè ac man-
suetè agendum, vt Deus Opt. vestris
orationibus, pijsque non vincendi,
sed sanandi fratres errantes votis fle-
xus, cœtas eorum redaperiat mentes
& diabolica fraude seductos, sua Eū-
angelicæ atque veræ Apostolicæ do-
ctrinæ luce illustret propitius: qua vi-
deant sese à toto veterum P P. & Or-
thodoxorum choro dissentientes, à
vero aberrare Christi Iesu Euangelio,
veraque ipsius Ecclesia Catholica, ex-
tra quam nulli vnquam esse potest æ-
ternæ salutis spes reliqua.

Quod vt errantes tot innumeris,
prò dolor? nouarum hæreseon sectis
fratres ad vnum omnes tandem ag-
noscant faxit Deus, qui nos pro mise-
ris, & sathanica nebula excœcatis, vt
videant, ardentius & assiduè supplica-
re non desinamus.

Vale diu nobis incolumis.

M 4

Rurç.

Ruræmundæ quinta Albarum, anno 84. quo die nūcium mihi allatum est, quo nullum omni vita lætius contigit. Scribit enim D. Pastor Vvertens. nostri de successu laboris illic quatuor per menses exantlanti. Verè experti sumus (inquit) laborem à V. P. ouibus suis & nostris, imò Christi Domini non esse inanem. Nam pleriq; à V. P. priuatim moniti, etiam ij, de quib⁹ non expectabamus, hoc festo Paschæ cōfessi sunt, & communicarunt. Gratia Deo. & numerus communicantium duplo maior fuit hoc anno, quàm præterito. Anno superiore fuit numerus mille octingentorum, præsentem festo quatuor millium, centum sexaginta, aut circiter.

M. D. LXXXIII. 9. Septemb.

Iterum vale fili chariss.

Tui in Christo Iesu ex animo verè paterno amantiss. quàm diu in fide Catholica Louanij me susceptore professa, inuictus stas atque immotus,

*Wilhelmus Damasi Lindanus Eccles.
Ruræmundens. indignus & inutilis
Episcopus,*

Super-

Supereſt igitur, vt nunc impiorum
 Calviniſtarum tela depellamus, quæ
 contra quotidianum Chriſti Do. in al-
 tari ſacrificium audēt ore virulento,
 ſibiloque illius antiqui ſerpentis eui-
 brare. Non enim ſuo illo Sathanico
 contenti ſacrilegio, quo S. Euchari-
 ſtia verum ac præſens Dom. Chriſti
 corpus ſeſe ſibi perſuadent iſti bis mi-
 ſeri ſuſtuliffe, audent & ſacrificium e-
 iuſdem Dom. Chriſti quotidianum
 ſtolidè, ac temerè oppugnare: quod
 iam pridem Catholica docet, atque
 à ſui vſque exordio vocat propitiato-
 rium. Sed quiſnam piorum omnium
 audax iſtud, imò ridiculum, ne dixe-
 rim amentiffimum, horum cœcorū
 Calviniſtarum facinus ſatis admire-
 tur? Cum enim negant eſſe in S. Eu-
 chariſtia corpus Domini, rectè con-
 ſequitur, ſi hoc veritate nititur, non
 eſſe propitiatorium ſacrificium.

Quod enim non eſt in toto hoc pe-
 reunte mundo, quemadmodum iſtā
 omnium infoeliciffimam miſerabili-
 um, quorum Deus tandem miſeria-

M 5 tur

*Quanta cum
 inſania conitā
 etum ſit, quod
 Sacramenta-
 rij oppugnant
 Sacrificiū cor-
 poris Dom.
 quod non cre-
 dunt eſſe præ-
 ſens.*

tur propitius: Sacramentarium nationem profiteri non pudet; cœlesti nostro patri offerri non potest: Mirū itaq; cur sese isti miselli fatigent in oppugnando hoc mysterij Christiani sacrificio; qui tanta pertinacia contendūt, Catholicis nō esse quod offerāt.

*Plurimū fru-
ctus electis
Dei filijs pro-
uenire ex an-
daci Caluini-
starum oppug-
natione S. Eu-
charistie.*

*Vide li 5. Lin-
dani, de voto
Castitatis, &
celibatu Ec-
cles.*

Sed ex stolido isto Calvinistarum consilio diuina prouidentia non leuia electis Dei filijs cudit tela: quibus sese contra fraudulentas sophisticorum Calvinisticorum obmuniat argutationes, dolosaq; iuxtā ac spinosas ipsorum effugiat insidias. Dum enim eò deuoluuntur impietatis, ut iuge illud Christi Dom. audeant suis plurimis, licet arundineis ac verè ficulis is telis impetere, liquidò electis DEI filijs, alijsq; suam salutem æternam temerè nō proiicientibus; inde apparet, eos non esse Apostolorum discipulos, aut successorum imitatores: sed veros illius filij perditionis Antichristi præcursores. Is enim pro suo, ita dixerim, officio sibi vindicando, iuge illud Christi Dom. sacrificium, sub finem mundi abolebit: sic Deo pro

propter ingentia sui populi peccata,
& vti apud Daniele exstat, scelera-
tissima scelera permittente. Sicut Ico-
noclastarum est, qui alia sunt natio,
parte alia infaustum illi aduenturien-
ti præparantes iter, venerandas imagi-
nes Do. Christi, & Sanctorum eius cõ-
fringere, pias tabulas de medio tolle-
re, honorificas diuinorum virorum
ad imitationem excitandam erectas
statuas euertere, delere, profligare.

Ne tamen isti recocti & ferocientes
passim per Gallias Iconoclastæ, siue
sacrilegi Calvinistæ, atq; Christoma-
chi ad vnum omnes Sacramentarij,
suo desint infœlici officio, quo ruinã
Christianæ religionis molientes, iter
suo aduentãti præparant Antichristo,
aggrediuntur & illud SS. Christi Do.
sacrificiũ, quod sui in memoriã quo-
tidie iussit Deo patri immolandum,
oppugnare, validisq; in speciem syl-
logismis magno aceruo cumulatis,
conantur opprimere, sed eos frustra,
sicuti Propheta loquitur, super late-
re immolare, satis liquet: qđ errores
suos, & exquisita mēdacia, inquit D.
Hier.

Hier.

Hiero. dialectica nituntur arte firmare
 & ἐκ γωνίας iactitant, ῥεθύμματα, id est, se-
 cti in latere pulueris, atque descripti
 lineis roborare, sed istorum strophis
 ut ut sophisticis, argutis & Carneadi-
 cis contextas, atque perplexis syllogis-
 mis aut gryphis cornutis, hypotheti-
 cis, & Dilēmaticis instructas difficilē
 non erit viro Apostolica Christi Iesu
 fide armato dissipare, cuius rei speci-
 men etsi mutilum, atque inelabora-
 tum, neque diu satis pressum, ob cau-
 sas supra dictas, afflante Christi spiri-
 tu nunc edere hac pro virili, atque o-
 tio nimis angusto aggredimur. Libel-
 lus Calvinistæ Antonij Sadelij nuper
 ad me Aquis Grani abs te Vener. P.
 Nyrsmanne mutilus transmissus, vi-
 ginti continet syllogismos: quibus se
 se propitiatorium Euangelicæ nostræ
 Missæ sibi gloriatur infoelix aboleuis-
 se: sed meros esse verborum fumos,
 & inanes versuti, immò imperiti so-
 phistæ nebulas, euestigiò pijs Epistolâ
 D. Pauli ad Hebræos mediocriter in-
 telligentibus liquido apparebit.
 Ex ea enim non intellecta, imò nō
 pau-

Occasio hu-
 ius scripti
 Lindanicæ.

paucis locis imperitè detorta, & se-
 leratissimè adeò deprauata nobis Or-
 thodoxis Catholicæ atque Apostoli-
 cæ doctrinæ professoribus faceffit ne-
 gotium asperis suis conuitijs, & flagi-
 tiosis maledictis conditum: quæ Chri-
 sti causa dissimulantes, cum gaudio
 sustinemus.

Prodeat igitur in puluerem scho-
 lasticum primus ex XX. istius schola-
 stici Goliathæ Achilles Carneadicus:
 quo Catholicæ Christi Ecclesiæ pro-
 pitatoriū euertere conatur iste scho-
 lasticus Sadelius. Iactat. n. sese theolo-
 gicè & scholasticè hunc S. Th. locum
 tractasse. Sic igitur suā instruebat con-
 tra inuicta Dei Sabaoth castra infau-
 stam aciem Sadelius. Omne legiti-
 mum sacrificium, inquit, nititur ex-
 pressis scripturæ verbis: ex quibus ma-
 nifestum esse possit, eiusmodi sacrifi-
 cium fuisse à Deo institutum. Sacrifi-
 cium Missæ non nititur expressis scri-
 pturæ verbis, ex quibus manifestum
 esse possit eiusmodi sacrificium fuisse
 à Deo institutum. Quare sacrificium
 Missæ non est legitimum sacrificium,
 & vi

I.
 Primus para-
 logismus so-
 phisticus Sa-
 delij Schola-
 stici contra E-
 uangelicum
 Apostolicæ
 Missæ Sacrifi-
 cium.

& vi consequentis reijciendum est.

Cui ita subtexebat infoelix nugarū
textor. Structus est syllogismus in 2:
fig. quia negat δτ' βστ.

*D. Hier. com.
in Ezech.*

*En tibi sudan-
tem philoso-
phum suo in
sophisticæ ar-
gutationis
vestibulo.*

*cic. de orat.
Atticum.*

Agnosce nē candide Lector, sophi-
stam sacrificare in puluere scholasti-
co? & uti aiebat D. Hier. ἐκ γωνίας fabri-
care γέμματα, lineasque in puluere Ma-
thematicas describere? Sit mathema-
ticus tu⁹ syllogismus Sadeli, sit Eucli-
dian⁹: nos Christianè respōdemus. Ut
maiolem syllogismū statuat iste scho-
lasticus argutator, vide obsecro, ut æ-
stuet ipse in suo vestibulo; Maior, in-
quit, propositio, siquidem opus habe-
at probatione, satis probatur ex ijs,
quæ alibi disputauimus, in loco de
verbo Dei scripto aduersus humanas
traditiones. O cautum sophum, qui
sui oblitus primarium suum Achillē
ex vicenis ita inermem nobis obicit
iugulandum. Si enim scholasticus est,
vti hic ante ore suo p̄fitetur titulo, il-
lius oratoriæ artis p̄cepti oportebat
meminisse, initio firmiora quæque
collocanda, infirmiora verò inculcā-
da. Atqui Maiorem suam ait se alibi
satis

fatis probasse, sed hoc suis rudimenta-
rijs persuadeat infœlicis scholæ ado-
lescentulis. Allegat suum librum, ne-
scio quem, & eum alibi dictatum. At
qui robur argumenti oportebat indi-
casse saltem, non solum affirmasse. Si
cui iactatus iste libellus est alicubi vi-
sus, ei nō defuerit remedium præsens,
(ni totus fallor) & efficax ex primo li-
nostræ Panopliæ antè annos xx in lu-
cem emissæ cum sua appendice, atq;
Apologetico ad Germanos, concor-
diæ causa pridem scripto. Hunc autē
primipilarem Sadelij, Achillem no-
stris excipiamus iaculis verè Theolo-
gicis ex verbo Dei solidissimè petitis.
Assumit igitur Sadelius: Omne legiti-
mum, inquit, sacrificium nititur ex-
pressis scripturæ verbis, &c.

An non mi Sadelij, sacrificium iusti
Abelis fuerit legitimum? si negare au-
des, mendacij te conuincet verbum
Dei: quod eum singulari illo **IUSTI**
elogio exornare dignatur. Si iustus
fuit, legitimum Deo cultum obtu-
lit; legitimum eius maiestati immo-
lauit

lauit sacrificium. Sic & Noe, & Abraham, & Melchisedech sacrificium a deo vobis exosum, quibus nam obsecro scripturis legitimum nitebatur sacrificium?

Si Mosaica tibi, Sadelii, obijciam sacrificia, an ea tibi non fuerint legitima, nisi manifestis scripturae verbis fuerint confirmata? Itane desipere videri vis philosophi, ut asseras ea non potuisse ab Aarone offerri, nisi ei Moyses scriptum harum rerum mandatum ostendisset? Sed te adeo delirare non opinor, cum Aarone fuerit satis, Moysen electum Dei Prophetam ita sibi mandasse sacrificandum.

Vides igitur Sadelii, hac in parte tuum clibanarium, quem primo aciei loco, ceu inuictum Achillem tua in Phalange collocandum putasti, claudicare: cum falsum sibi sumat: uti multis euentiss. exemplis est demonstratum.

Cuius ergo sint momenti corrasa illa scripturarum loca in tuam maiorem assertionem temere atque futiliter producta, nunc paucis exponemus.

Fru-

Frustrà me colunt docentes doctrinas, quæ sunt mādata hominum. At qui nos sacrificium Christianum negamus esse hominum mandatum: sed Spiritus Sācti à Christo, & per eius Apostolos Catholicę traditum Ecclesię, vt in Minoris tuę refutatione dicetur prolixius.

*Testimonia-
rū refutatio.
Matth. 15.*

Illi edificarunt excelsa Tophet, quod nunquam præceperam: Atqui nos docemus ex Dei instituto istud fieri sacrificium, secundum diuinas Prophetias. Ideò nihil contra illud faciunt, quæ temerè accumulas ex Prophetis de improbatis Iudæorum Excelsis: quæ Deus disertis verbis vetuit. Item de cultu nouo à Ieroboam instituto, quem dicis hunc vitulorum aureorū cultum instituisse, præter verbū Dei.

Jerem. 2.

Attende Sadelii, attende! An ne Ieroboam cōtra disertum Dei mandatum illam instituit idolomaniam: qua igitur fronte audes eam extenuare, docens præter verbum Dei institutam? Deinde superioribus subtexis. Huc etiam spectat, inquis, quod Paulus damnat Ethelotresceian. Atqui e-

Sadelius Sophisticè idololatriam Ieroboam extenuat, vt atrocius Catholicā vexet ac sauciet doctrinā.

N uin-

*Sadelius sui
oblitus ardo-
re sophistican-
di.*

vincendum tibi erat antea, mi Sadelii, hoc Christianorum sacrificium, eius generis esse, quod nos pernegamus. Non enim voluntate humana, sed auctoritate diuina nostros sequuti maiores Apostolos asserimus, vti mox dicendum fufius.

*Traditionis
duo genera,
scriptum, &
nō scriptum.*

Minorem sui syllogismi Sadelius probaturus, perlegantur inquit, omnia q̄ Apostoli scripserunt, istud Missæ sacrificium, imò ne Missæ quidem vocabulum reperiatur. Atqui nos verbo Dei docti asserimus nobis, credenda & facienda nō modò, quæ in Apostolorum scriptis reperiuntur: sed & quæ Catholicæ Christi Ecclesiæ, sine scripto, sed solo vsu & factò suo illi tradiderunt. Sic enim Paulus nos Epist. ad Theſſal. datâ disertis docet verbis: Tenete traditiones, quas à nobis accepistis, siue per Epistolam, siue per sermonem, ἢ τὲ διὰ λόγου, siue viua voce, atque doctrina, factisq̄ non scriptis, duo enim hæc sue diuisionis membra sibi opponit Paulus. In secundo hoc diuinæ traditionis genere dicimus Catholici sacrificium hoc Eccle-
siæ

fiæ Catholicæ contineri: potissimum
 si eius species consideremus, quod &
 Eucharisticum est, & propitiatoriū.

Quod autem sacrificandum est in
 vera Dom. Christi cœna, non solum
 ex verbo, Hoc facite, colligitur: sed
 potissimum ex diuino Do. Christi fa-

cto, quem in vltima cœna sacrificasse
 atque officium sacerdotis æterni secū
 dum ordinē Melchisedech iuxta Pro-
 phetias impleſſe; Orthodoxi PP. no-
 bis contestantur. D. Cypria. epist. con-
 tra Aquarios. Nam qui magis sacer-

*Do. Christum
 in sua cœna
 verè sacrifi-
 cassè, atq; hoc
 Missæ sacrifi-
 cium verè in-
 stituisse.*

dos Dei summi, inquit, quem Dom.
 noster Iesus Christus, qui sacrificium
 Deo patri obtulit, & obtulit hoc idē,
 quod Melchisedech obtulerat, id est,
 panem & vinum, suum scilicet cor-
 pus & sanguinem. Et infra: Præcedit
 autem imago sacrificij, in pane & vi-
 no scilicet constituta, quam rem per-
 ficiens & adimplēs Dominus panem
 & calicem mixtum vino obtulit. Rur-
 sus: Vtique sacerdos ille vice Christi
 verè fungitur, qui id quod Christus
 fecit, imitatur.

N 2

Sic

D. Irenæus.

Sic & D. Irenæus suæ Galliæ Lugdunensis, & patriæ suæ Graciæ, eam esse hæc de re doctrinam scribit. Igitur Ecclesiæ oblatio, inquit lib. 4. cap. 34. quam Dominus docuit offerri in vniuerso mundo, purum sacrificium

Christus auctor & doctor sacrificij S. Eucharist.

reputatum est apud Deum, & acceptum est ei, non quod indigeat à nobis sacrificio: sed quoniam is, qui offert. Si Dominus docuit oblationem, proculdubio eam instituit, his ipsis verbis indicat D. Irenæus, Christum D. Malachiæ prophetiam implessè dū dicit: purum sacrificium in vniuerso mundo Deo patri offerri, ne quis illā cum Iudeis de aliquo alterius generis sacrificio deprauet.

D. August.

D. Augustinus locis plurimis hoc Missæ sacrificium à Domino Christo institutum, vt Com. in Psal. 33. Postea ipse de corpore & sanguine suo instituit sacrificiū secundum ordinem Melchisedech. Et lib. 3. contra Donatistas cap. 19. nondum Mosaicis successerat Sacrificium, quod ipse post in Ecclesiā voluit celebrari pro illis omnibus. Sic & in Concilio 4. Carthagin. ca. 24

cui

cui D. Augustinus interfuit. Placuit
 vt in Sacramentis corporis & sangui-
 nis Domini nihil amplius offeratur,
 quam ipse Dom. tradidit, id est, panis
 & vinum aquæ mixtum.

Quod igitur nugatur Sadelius vo-
 cem, facere, nunquam pro sacrificare
 inueniri, Grammaticorum irrideant
 pueri. An non apud Ciceronem de
 Claris oratoribus Sacrificium publ.
 facere?

An nō apud Plautum Amphitrio.
 sacra facere? An non apud Liuiū 1. ab
 vrbe. Sacra populi Ro. facere?

Certè D. Hiero. ex Leuitico apud
 70. recitat. Accede ad altare, καὶ ποιήσον
 & fac pro peccato.

Atqui vitulinū est argumentū, ri-
 det Sadelius ridiculus, illud Virgilij,
 dum faciam vitula, pro sacrificare ac-
 cipere. An ne vitulum se ipse conuin-
 cat Sadelius, censeant Grammatici,
 qui Virgilianum illud eo sensu acci-
 piendum docent: quibus si fidem sua
 in arte habere nolit Sadelius, caueat,
 ne brutis cum vitulis ad bubulcos sta-
 tuant relegandum, donec ferocitate

*Grammatici
 Sadelium cen-
 seant cornipe-
 tam vitulum
 beanizandū.*

deposita mitescat, & sua reijciens cornua desinat in posterum esse cornipeta. Porro quod superioribus suis nugis subtexit Sadelius, planè ridiculum est.

D. Christum in sua cœna sacrificasse, atq; hoc Missæ sacrificiū vere instituisse. Atqui Missæ sacrificium, inquit, nūquam nominatur, nec eius nomē vquam legitur, de vocula Missæ rixari, puerile nimis, nos rem Act 13. legi affirmamus, vbi Apostolos & ieiunasse, καὶ λειτουργῆσαι & Liturgiam fecisse, publiceque sacrificasse, D. Lucas testatur. Iam an aliud ipsa re sit Liturgia Græcis quàm Latinis Missa (siquidem Latinum esse, Panoplia iam pridem docuit) consulat, qui ambigit, Græcos qui sacrificium Christi quotidianum peragunt ex Liturgia D. Basilij, Chrysostomi, aut D. Iacobi, aut D. Petri.

Liquet ex superioribus, primū Sadelianum Ahillem nihil habere virium contra diuinum Missæ sacrificiū, quod inualidis vltus telis (quia falsis) illud reliquerit saluū & incolume, quia à Christo institutum, & quia ex verbo Dei Ecclesijs Dei traditum est ab
Aposto.

Apostolis. Posthęc hypotheticum syllogismum nūc struit Sadelius: quem ex superiore dicit promanare: sed tubo perfuso atque perforato: quem ita proponit.

Si quoties Apostoli, inquit loquuntur de Christianorum sacrificijs, hoc est à Christianis faciendis, proponunt spiritualia tantum sacrificia, nec unquam mentionem faciunt alicuius realis & externi sacrificij: Et nobis cum Apostolis loquendum & sentiendum est: Certè nullum externum & reale Christianorum sacrificium agnosceredebemus. Etsi antecedens à vero sit alienum, eo tamē, verbi gratia dato, non inde sequitur, aliud non esse sacrificiū Christianorū, quā nominatim Apostoli suis in scriptis eis proponunt. Quod enim per annos 10. vel 12. quotidie peragebatur in cōuentu Christianorū, quorsum opus erat eius meminisse? sed quod in adhortando tantū meminere spiritualiū sacrificiorum, nō excludit illud externū mysteriū à Christianis pagi solitū. Eiusdē futilitatis est, quod ait D. Paulum epi. ad Heb.

II.
Paralogismus Sadelij.

Idem sophisma eum procedente.

Huius sacrificij non meminisse. At-
qui ei pugna erat Sadelii, contra Iuda-
izantes semichristianos: qui reiecto
hoc sacrificio Christi ad Mosaica sua
pristina parabant reditum: contra
quorum impiam superstitionem lu-
ctatur Apostolus Paulus, vt eū de mē-
te ipsis renellat.

Extra oleas igitur D. Paulus curre-
re visus fuisset, si de quotidiano Chri-
sti sacrificio, quod sola illius cruenti
in cruce peracti commemoratione
agitur, atque religiosè celebratur, su-
am instituisset diatriasan. Quod Apo-
stolis non fuisse incognitum D. Luc.
Actor. 13. testatur. Catholici cum A-
postolis & sentimus, & loquimur, &
facimus: ringentibus interea Christi
æmulis, imò Christomachis istis Sa-
cramētarijs Christi mysteriorum nō
ex dimidio satis peritis.

III.
*Sophisticus
Paralogif-
mus.*

Tertium suum syllogismū ita scho-
lasticè instruit Sadelius.

Omne dogma quod secum pug-
nat, neque potest sine contradictio-
ne explicari, ineptum est & Hetero-
doxum.

Dog-

Dogma de Missæ sacrificio, secum pugnat, neque potest sine contradictione explicari.

Quare dogma de Missæ sacrificio ineptum est & Heterodoxum, ac proinde reiiciendum.

Minorem falsam, quia statum con- Ex aperte falsa assumptione, inserta falsissimam conclusionem.
trouersæ continet, varijs aggreditur
sophismatibus, sed inutilibus stabilire.

Quia in visibili Sacrificio, inquit, oportet id quod offertur esse visibile.

O sapientem sophum! qui à rebus corporeis res fidei putat æstimandas, aliud sanè his in Christianis mysterijs visibiliter offertur, aliud creditur. Sicuti & D. Thomas exclamans Christo, Dominus meus, & Deus meus: vtrumque verum: sed vnum oculis liquidum, alterum fide persuasum: & ideò magis indubitatum: quia certiore nititur scientia, siue indubiæ cognitionis principio: nempè Dei verbo.

Vnde nihil apud Christianos absurdi habet idem esse visibile & inuisibile: sed alia atque alia sui parte: quod iste sophus pro impossibili habet suis carnalibus sensibus (vti animale homi-

nem, quem dicit D. Paulus nimis stolidè cum pecudibus in terram pronò immerfus.

A sensib. brutis Sadelius contra Missæ sacrificiâ peccati humana et sophistica.

Sacrificium Missæ rectè vocatur mysterium fidei.

Ista de causâ in illas pro suo bruto sensu crumpit voces: Nullum externû & visibile sacrificium esse potest, quia id sit visibile. An non diuinis hisce Christianæ fidei mysterijs, Lector Christiane, sufficiat sine ipsiis visibilibus rerum diuinissimarum speciebus contineri illud inuisibile? At reclamât Sadelius, sacrificium enim, siue victima, inquit, intelligi non posse. Nos certè victimam Sadeli, hoc in sacrificio non negamus præsentem: sed oculis perfidiæ glaucomate perfusis dicimus inuisibilem: non autem ijs, qui omnipotenti Domino Christo Iesu habent fidem, hoc esse suum corpus asserenti, tametsi corporeis oculis non aspiciamus, sed fide firma tenemus. Hinc rectè in Apostolico sacrificij Christiani Canone insertum legimus, mysterium fidei. Vix enim alius fidei articulus tanto pijs Dei filijs adumbratur, imò velatur

tur mysterio : quod nisi Apostolica fi-
de non capitur.

Vndè imperitè, imò bis prophanè
ac minimè Christiane cum Iudæis &
Turcis colligis Sadelio, quare si corpus
Christi & inuisibile in Missa, non est
igitur visibile sacrificium. Vestris qui-
dem oculis perfidix caligine occœca-
tis, sicuti nec Iudæis incredulis erat De-
us in Christo visibilis, erat tamè & Pe-
tro, & Thomæ visibilis fide, atq; illu-
stratis Dei dono, animæ fidelis oculis.
Negat vnquam fando auditū in visi-
bili & externo sacrificio victimam
esse inuisibilem, quod nos Christi-
ani pernegamus. Si Sadelio suis cum
Turcis & semipaganis ad vnum om-
nibus fando non auditum asserit, nos
moramur nihil. Si audiuit nunquam,
hoc est infelicior, quòd impijs ortus
est parentibus, aut irreligiosis educa-
tus est pædagogis.

*Turcarū perfi-
dia vtiur Sa-
delius contra
sacrificium
Missa.*

Postquā ridiculus nugator cōviti-
ando exsatiatus, Christiana mysteria
risisset abundè satis, negat temerè ad-
modum

corpus domini esse victimam. Rogat enim an illud sit externum, sed pro absurdo habet, vt eadem res sit visibilis, & inuisibilis, quod sensibus quidem humanis absurdum est, sed non fidei Christianæ: quæ cum D. Thoma in Christo aliud credit, aliud videt, sic & Christi Ecclesia partim est visibilis, partim inuisibilis. Posthæc SS. Canonem aggreditur friuolis cauillationibus non tam grauitè oppugnare, quàm malitiosè vexare.

*S. Canonem
Missæ sophi-
sticè vexat
Sadelius.*

I. Illud igitur arrodens quod legitur: In primis, quæ tibi offerimus. Quàm aptè (inquit) rogetur Deus per Christum, vt Christum oblatum recipiat, viderint Pontificij sacrificuli, aut proijs magni eorum & cucullati Doctores. Atqui Sadelius, nō dum de Christo immolādo agitur: sed de donis à pio populo, Sacris olim impositis Altaribus. Vndè postea disertè adnotatur in Canone antè illud, hanc igitur oblationem seruitutis nostræ dicendum, super oblata. ea sunt illa munera diuinis Altaribus piorum studio illata, quæ per Christum rogamus benedi-

*o lepidū ca-
put, cuculla-
tos ridei do-
ctores, quasi
istos excucul-
latos doctores
sagum sapien-
tes faciat, aut
penula Multi-
onia doctos.*

cen.

cenda & consecranda, non autem Christi Domini corpus, quod nondū est diuina virtute consecratum: Vnde orat Sacerdos paulò post. *Vt nobis fiat corpus & sanguis Domini.* Secundo II.

quærit an ne satis piè rogent, vt Deus Christum Iesum filium suum acceptum habeat? Atqui hoc Sadelinū quam rogatur. Lege accuratiùs, ac relege Sadelinū, nusquam hoc toto inuenias Canone: sed numero semper plurali, vt pia Christianorum oblata vbi que agnoscas & dona, & vota. Tertiò III.

quærit, an non hæc sit blasphemia potius, quam precatio, vt Deus benedicat hæc dona? An blasphemum est dicere, Christum illos duos pisciculos

apud D. Lucam benedixisse? an non legisti Sadelinū: benedixit eis? Sic & hic idem precamur non blasphemè, sed admodum religiosè pro illis oblati-

pij populi muneribus, quia dicitur; hæc dona. Nondum enim ad conse-

crationem corporis Domini ventum est. Vnde sophistica est tua ficticia blasphemiæ probatio. Dicunt enim, ais, se Christum offerre, sed Sade-

li te

*Luc 9.
Blasphemiæ
accusat Catho-
licos temerè
Sadelinū.*

*Tempora di-
uini sacrificij
sophisticè Sa-
delinū permī-
scet.*

li te hic meminisse oportet, non posse Christum offerri, nisi post consecrationem, quæ longo interuallo hæc sequuntur verba.

Pergit gannire Sadelius: Item, si quem admodum inquit folio 32. vigilantes somniant, offerunt illud idem sacrificium, quod Christus obtulit, cur ergo sacrificia dicunt numero multitudinis? Vide Lector candide, Sadelium ipsum Catholicis vigilans somnium obijcientem, arcto teneri opere, non Domini quidem illo, ut olim Philistæi: sed mentis cæco diabolicæ inuidiæ fascino dementatæ. Quod nisi accidisset mi sero, suis ipsemet potuisset verbis ad sobriam animi excitari vigilantiam. Quis enim Catholicam Iesu Christi Ecclesiam hæc ubique terrarum sacrificij formula utentem, ita insanire credat, ut de vna Dominici corporis & sang. oblatione loquens,

*Plures olim hostiæ altari-
bus impositæ,
quam consecrata in sacrificiū Christi.* eam numero multitudinis appellet sacrificia? Hæc ipsa igitur vox hominem non vino, aut inuidia, aut contumacis spiritus ebrium: sed sobrium
ad.

admoneat plura solere adhiberi variarum rerum sacrificia Deo gratitudinis, pietatis, ac religionis ergo immolanda.

Quæ Sadelius in frigidam, vereque futilem huius rei cōfirmationem ex Secretis Paschali & pro defunctis, adfert, magis eius arguunt dormitantiam, quod ibi oratio loquitur de hostijs; cum hæc nostram confirment doctrinam plures olim adhiberi solere hostias, SS. altaribus impositas, ut etiamnum vidimus Parisijs in exequijs vini cantharum, & panes candidissimos altari religiosè accumulata. *Parisen mos in exequijs.*

Cæterum, quod ex alia secreta conatur contradictionem Missalis convincere, magis eius arguit vesaniam. superioribus sequens eorum (inquit) aduersatur precatio, hostiã Domine suscipe benignus. Nihil minus Sadeli Nam hæc abs te allegata secreta, propriè illam singularem respicit hostiam: quæ totius mundi soluit delicta paulò post immolanda, vbi diuina erit consecratio religiosè peracta. Sic & aliæ quædam Sacramentales

tales

mentales preces peculiariter hoc so-
lum respiciunt sacrificium, vel ange-
lis tremendum. Alię verò sunt ad om-
nia SS. altaris sacrificia generales: quę
numero plurali ea vocant, aut hosti-
as, aut oblationes, aut denique pia
vota.

*O ridiculum
sophistā, qui
rem leuissi-
mā graui me-
tuitur labore,
& ex musca
faciat ele-
phantem.* In re tam facili, quam vel S. Th. ru-
dimentarius nullo explicet negotio;
ingeniosè Sadelius sibi aduersarios
fingit valdè æstuantes, vt suos dissol-
uant elenchos, aranearum telis fragi-
liores. Hic valdè æstuant pontificij (in-
quit) Quidam enim p̄ illa verba; hæc
dona & munera, intelligunt substan-
tiam panis & vini, atque ita suę renū-
ciauit sententię de Missę sacrificio. O
impudens mendacium? An non Ca-
tholici omnes docemus in Christia-
*Falsum affin-
git Catholicis
Sadelius.* no Missę Sacrificio, secundum ordi-
nem Melchisedech, panem & vinum
Deo offerendum? An non ita vniuer-
si Patres Orthodoxi? an non ita diser-
tissimis verbis D. Irenæus & Cypria-
nus? Quid igitur causę foret, Sadeli,
vt suę quidam non indocti renuncia-
rent sententię ita firmę, tot PP. testi-
monijs

monijs stabilitæ, tot liquidis verbi
 Dei oraculis confirmatæ? Sed causam
 addit Sadelius, ob quam responsum
 adeò puerile quoddam reddere vide-
 ri vult. Sequeretur enim, inquit Sade-
 lius, non Christum ipsum, sed panem
 & vinum offerri Deo in Missa. Grãde
 absurdum Sadeli: si sequeretur quòd
 Orthodoxi PP. vniuersi ex liquido
 verbi Dei testimonio demonstrant,
 pijs Ecclesiæ Christi Catholicæ filijs fa-
 ciendum, imò tum demum rectè ip-
 sos offerre, si quod prior fecit Domi-
 nus, ipsi faciant, vti superius ex aureo
 D. Cypria. testimonio est cõfirmatũ.
 Sed illud aliquem habet apud impe-
 ritos, aut rerum Christianarum semi-
 peritos fucati argumentuli speciem,
 quod panis & vinum, vti subtexit Sa-
 delius, pro redemptione animarum
 offertur Sed hic suam prodit non tan-
 tum sophisticam, sed vt verè dicere li-
 ceat, Sathanicam malitiam. Ista enim
 verba pro redemptione animarum
 suarum, non de panis & vini oblatio-
 ne (vti calumniatur diabolicè Sadeli-
 us) dicuntur, sed de immolando sta-
 tim

*Pro absurdo
 habet Sadeli-
 us, quod vni-
 uersus ortho-
 doxorum PP
 veterum da-
 cet chorus.*

*Mala fide Sa-
 delius verba
 S. Canonistra
 stat, eò detor-
 quens, quò nò
 pertinent.*

O

tim

tim corpore Dominico post consecrationem. Sic enim est in Canone: Offerimus, vel qui tibi offerunt hoc sacrificium laudis, pro se, suisque omnibus pro redemptione animarum suarum, &c.

Videt hic pius, & non praefractus lector, mala fide Sadelium agere: qui verba Ecclesiastici Canonis tam in contrarium detorquet sensum à suo genuino & Germano.

Quod igitur Sadelius superiori fraudi non parum sacrilegè subtexit, grādem habet blasphemiam, Turcico eius spiritu dignam. Quo vix aliud quicquam (inquit) detestabilius dici potest. O coecum, ne dicam maleuolum hominis malè sani iudicium? si ad panis & vini oblationem verba hæc S. Canonis pertinerēt, locum haberet Sadeli, tua vehemens adè exclamatione: Atqui cū sit demonstratum ad illud Eucharisticum Domini corporis sacrificium pertinere (quod laudis sacrificium dicitur) inanis tua est execratio, ne futilis dicam, tua vesana exclamatio. Ineptire pergit Sadelius

Insana est Sadelij exclamatioque falso nititur fundamento, ut calumnietur Catholicos.

lius; ne cui videatur iniquam temerè
 agere causam. Alij exponunt (inquit)
 verbū præsens pro futuro, quia mox
 futura est transubstantiatio, ac proin-
 de verba illa de corpore ac sang. Do.
 exponūt. Stolidi est deblateratio ist-
 hæc Sadeli, qui homines doctos tam
 indocta fingis sentire. Sed ita tibi lu-
 dere visum fuit in cōfingendis varijs
 manifestissimorum S. Canonis verbo-
 rum sententijs, ne tuo lepido deesset
 ingenio, quod ridiculè exagitares, fig-
 mētum igitur est putidum, hæc S. Ca-
 nonis verba, de tempore futuro intel-
 ligenda esse. Quid igitur stolidiusque
 ratur, quàm quod Sadelius suo ludēs
 figmento quærit, si oblatio iā est cor-
 pus Domini, cur rogatis vt fiat cor-
 pus? Atqui tuum est Sadeli, audax &
 sacrilegum figmentum, illa S. Cano-
 nis verba de corpore Domini accipi-
 enda. Nam diu postea sequitur alia o-
 ratio, quæ vt habet titulus, super ob-
 lata est dicenda. Audin Sadeli! Oratio
 longa subsequens post prolixū SS. A-
 post. & Martyrū catalogū, sup oblata
 est recitanda, quā paulò post sequitur

*Ludit sophi-
 sta suis som-
 nijs sibi confi-
 tis vt calum-
 niandi nō de-
 sit materia.*

diuina corporis Dominici consecratio. Deinde SS. sanguinis, tum demū Euangelica & Apostolica vtriusque oblatio.

Fraudulenter rem diaboli Sadelius agit.

Miscet omnia impurus Sadelius, ut impura inra coquens.

Quod itaq; Sadelius attexit: item munera oblata sanctifica, ipsum iugulat. Ea enim orationis pars est cuiusdam secretæ ex orationibus, quæ pro Rege in altari funduntur, quæ diu ante S. Canonem recitatur. Liquet igitur; illa verba fraudulenter à Sadelio detruncata, impio Sophistices studio ad corpus Domini detorqueri, quod nullus Christianorum vnquam, vel somnauit ab Ecclesia orari, vt sanctificetur. Posthęc alia Christiani Canonis miscet fragmenta, & superioribus per suum Item copulat: quæ vt loco, ita & natura sunt diuersissima. Quod enim subtexit proximè, Item, *super qua propitio, &c.* Sic & illud, Item, *supplices te rogamus, &c.* post S. Consecrationem recitantur: vnde cum superioribus copulari non debent, sed suo quodque ordine considerari, ac loco æstimari. Sed fraudem suam mox euomit Sadelius, quam imperitis struere

ere impudenter conatur. Si hæc dona, inquit, hæc munera, hæc sancta sacrificia illibata sunt corpus & sanguis Domini, adeoque ipse Christus, currogant, vt Deus hæc munera sanctificet? O sophistam improbum? quem non pudet cum execrandis illis sophistis nobis scutum illud recudere sophisticum: quod pueri olim didicimus. Scutum ex dimidio est album, ex dimidio nigrum, ergo idem scutum est album & nigrum. An non simili Elencho vel Beans ridiculo Sadelius concludere conatur de hostijs Altaris, inter quas est corpus Domini, sanctificandis? Hostiæ altaris, inter quas, inquit est corpus sunt sanctificandæ. Ergo & corpus Domini est sanctificandum.

*A diuisis ad
coniuncta so-
phisticatur
stolidè Sade-
lius.*

O te stupidum collectorem, ne dicam sophisticum nugatorem. Quis vnquam tam fuerit apud Catholicos cerebri expers, qui vel per somnum dixerit, corpus Domini in Altari sanctificandum? Quod igitur attexit Sadelius, videri tunc illis corpus Christi sanctificandum, vel Christus ipse san-

sanctificandus? Minimè Sadeli! minimè: sed ineptissimis tuis (sophismatibus tibi illudis miser. Addit stolidius aliquid Sadelius, ne sani putetur cerebri, quid quod rogant (inquit siquidè interpretatio vera est) ut Deus corpus & sang. Christi, & Christum ipsum acceptabilem habeat. An non istud manifestè est calumniam Catholicæ Christi Ecclesiæ struere Sadeli? qua ex ficticia quorundam verborum, quæ ad aliud referuntur sententia, blasphemus adedò necere conaris syllogismos? Excipiet Sadelius: Addidi siquidè: vera est hæc interpretatio. At quinã vera esse queat, quæ cum ipsa rerum natura pugnat: quæ potest esse vera interpretatio, quam orationis & ordo refellit, & cohærentia respuit? toto igitur erras cœlo Sadeli, quum vni rei vis ascribere, quod diuersum est ordine, ac suo cuiusque loco tribuendum.

Abfit igitur Sadeli, abfit ea S. Canonis abs te allegata verba de corpore Domini sint accipienda: cum de ijs, quæ piorum Dei filiorum deuotio &

Falsum Catholicis mendaciter affingit Sadelius.

tio & pietas voluit diuinæ maie-
 stati offerenda, intelligantur: ex qui-
 bus diuina consecratione iam diuini-
 tū est corpus Domini nobis conse-
 crandum, relictis in altari cæteris in
 vsum piorum fratrum & Dei famulo-
 rum distribuendis. Non enim omnia
 in sacrificium illud singulare assumū-
 tur: sed quædam tantum, pro commu-
 nicantium numero delibata. Vnde in
 S. Canonē dicitur, vt quotquot ex hac
 Altaris participatione SS. corpus &
 sanguinē Christi sumpserimus. Vides
 igitur quædam distingui contra cor-
 pus Domini velut diuersa, quemad-
 modum videre est etiamnum hodie
 in diuina Græcorum Missa, vbi toto
 ex pane sacra lanceola tantillum pa-
 nis quotidie exciditur, quantum vni
 sacerdoti, aut socijs pauculis sufficiat
 ad SS. Dom. corpus consecrandū. Re-
 liquū sacri panis Diacono cedit atq;
 circumstantib. quibus domū abituris
 Antidori loco religiosè distribuitur,
 vti Bredæ an. 81. vidimus, dum Catho-
 licus sacerdos Græcus Albanis equiti-
 bus Græcā D. Chrysof. celebrabat Li-
 turgiam.

O 4 Sed

*Calumniosè
vana pijs Sa-
delius affin-
git Catholicis*

Sed nihil opus fuerit huius rei obscurioris, quæ apud plerosque nunc Germanos in dissuetudinem abiit, ac penitus exoleuit, aliunde manifestationem quærere, cum ipsa S. Canonis verba nos antiquitatem istam Ecclesiasticam cogant agnoscere. Si enim ad corpus Domini sanctificandum, aut Deo patri, ut acceptum sit, commendandum, sunt referenda, uti per calumniam Catholicis affingit Sadelius, Dic nobis obsecro, mi Sadelii, Ecquid sibi verba illa volunt, quæ oratione præcedunt Dominicam, per quem (Dominum Christum) hæc omnia semper bona creas? an hic solum Dominicum accipias corpus Sadelii? quæ impudentia? at quonam sensu id verè dixeris. Hæc omnia semper bona creas? an & hic exclamare sine mente audebis, nos etiam corpus Domini semper creari docere? quæ tua est vesania: quod si profiteri te nihil pudebit, ut soletis Christomachi frontem perfricare, quò dilectissimam eius sponsam vestris vexetis, deformetis, dilanietis calumnijs; illa quæ mox con-

consequuntur, tuam liquidò redarguant apud cordatos Lectores amen-
 tiam, Sanctificas, viuificas, benedicis.
 Audebísne Sadeli, crepare Catho-
 licos in suo Canone docere, corpus do-
 mini in sacrificio Christiano viuifica-
 ri? Quod cum asserere non ausis, ne-
 cessariò te confiteri oportet plurima
 S. Canonis Missæ verba esse ad diuer-
 sas SS Altaribus impositas hostias re-
 ferenda: quæ vna cum oblatione pa-
 nis & vini, vnde fiat SS. mysteriorum
 illorum consecratio, pridem propo-
 nebantur. Eæ autem sacris his preci-
 bus religioso cultu benedicebantur,
 siue ad pios & sacrorum, & sacramen-
 tariorum vsus, siue fratrum populiq;
 Christiani necessitates consecraban-
 tur, qualia sunt oleum, Balsamum ad Oleum, Balsa-
 mum, sal, a-
 liaq; olim in
 altari esse cõ-
 secrata.
 S. Chrisma: quæ in vsus Catechume-
 norum, Baptizandorum & infirmo-
 rum atque S. altarium in Apostolicis
 ritibus, in SS. Missæ sacrificio religio-
 sè consecrantur.

Memini sanè cùm antè annos plus
 minus XXXIII. Parisijs S. Theologiæ,
 aut linguis tribus aut 4. perdiscendis,

O s ope-

operam darem, videre in Abbatia SS. Petri & Pauli, quæ nunc S. Genesvæ vocatur, Reuerendum Patrem Abbatem in medio sacrificij ad verba nunc commemorata, plurimas populo astanti recitasse SS. benedictiones, piæque imprecationes, nescio an præter illum panem, quem illic vocant le pain benydt, qui post sacrificium auditoribus in Antidoron, Græcorum more abiturientibus distribuitur, alia fuerint vini, rerumve aliarum impositæ hostiæ. Verum hoc illa ex oratione liquidissimum est, qua orat Sacerdos: Munera Domine, quibus tuæ cumulamus Altaria. Quam obsecro te Sadeli hic reparias rimam qua effugas? an omnia porro ausis asserere S. Canonis verba promiscuè ad SS. Domini corpus & sang. referenda?

Nunc cæteras Sadeli persequamur cauillationes, quibus S. Canonem Christiani sacrificij audebat temerè atque futiliter oppugnare.

Calumnia omnium impudentissima.

Illud autem quod superioribus subtextit blasphemij, omnem superat impudentiam, quo audet homo effrons

frons, Catholici sui ingenij figmentum tribuere, quod se apud Deum pro Christo constituunt mediatores.

O Deum immortalem? quis talia fando à Catholicis vnquam audiuit, aut dicta vsquam legit? non enim inter illa quæ orat sacerdos, vt Deus accepta habeat, diuinum illud, Deoq; omnium gratissimum Dom. Christi corpus est computandum: vti sathanaica iste impudens Sadelius improbitate, ac mentiendi libidine audet comminisci.

Sed atrociori sese contaminat mendacio Sadelius, cum exaggerandi causa illud hyperbolicum suū attexuit, imò vt Deum illam, inquit, oblationem acceptā habeat, sanctorum merita proferant, quoties Sanctorum Missas celebrant, Os blasphemū? Increpet te Deus? cur verba S Canonis hoc continentia nō recitas Sadeli? nisi quia te tua impudentissimi istius conuincerebat conscientia mendacij: Nisi te calumniatorem tua tibi mens testaretur, tam blasphemata non dissimulasses verba.

*Hyperbolicū
Sadelius in
Catholicos
mendacium.*

Si

Suam et cōscientia impudentissimā mendacio conuictus Sadelius nō audebat recitare. quibus illud affinxit. Sicubi verò in S. Canone, vel secretis nostri Christiani sacrificij de meritis sanctorum fit mentio, ea omnis aut ad piam, humilemque peccatorum supplicantium, aut donorum à pijs oblatorum spectat commendationem.

Mera enim est Sadeli calumnia, & ea verè Sathanica, quod alicubi adhibetur sanctorum merita ad diuinam corporis dominici oblationem commendandam: sed tantum supplicantium atque offerentium nomine, ne ipsorum indignitate fiat ingrator, quàm nobis profit aut expediat; cum offerētis ingratitudine interdum gratissimi alioqui doni [oblatio minus sit grata, quàm si à grato presentetur amico, aut fideli, & non offensatore seruulo.

Pharisaicum Sadelij supercilium in Catholicos. Proinde ociosum est Sadeli, quòd adeò superbo nos supercilio admones. Hoc autem viderint, inquit, satifene sibi consentiant, videlicet celebrare Missas in memoriam Sanctorum, in quibus hæc verba Christi recitant, Hæc quotiescunque feceritis, in mei me-

memoriam facietis.

Ista sibi non pugnare, sed aptissime consentire videt pius Lector, cui oculi sunt vera illius Sanctorum memoria, quæ in sacrificio fit Christiano, scientia, illustrati. Non enim sacrificium hoc vel vno verbulo immutatur, siue Missa fiat de Sanctis, siue de Feria, siue pro defunctis. Siquidem Canon sacrificij semper vnus est, atque idem, præterquam in solemnissimis, Paschæ, Natalis, Epiphaniæ, alijsve pauculis festis.

Caillam Sadelij de memoria Sanctorum in sacrificio ex mera ignorantia doctrina Christianæ anti-que.

Cætera autem quæ accedunt aut Parasceuen, habent sacrificij, aut aliam atque aliam auditorum instructionem, siue pro peccatis orationem, aut denique Sanctorum illius DEI commemorationem. Sed hæc omnia extra statam illam, & diuinam Christiani sacrificij formulam, siue festo alicuius sancti, siue die alio. Quod autem dicuntur Missæ fieri in Sanctorum memoriam, nō ad substantiam huius pertinet sacrificij, sicut mandata nobis est Christi Domini huius sacrificij authoris, quæ semper, idque potiss.

tiss.

riss. agitur memoria, sed alio lōgè sen-
 su, nimirum gratissimum illud Deo
 sacrificium in hostiam laudis, & Eu-
 charisticam offerri pro Sanctis, quòd
 eos Deus tali vel tali festo sua digna-
 tus est misericordia gloriosos diabo-
 li atque ministrorum eius facere vi-
 ctōres, quòd palma eos martyrij sui
 decoravit, aut virginitatis candida
 ornauit, aut denique patientiæ, atque
 in virtute Christiana constantiæ pur-
 pura coronauit. Deniq; quod sin-
 gulari prærogatiua eos ex tetrici hu-
 ius exilij carcere in promissum fide-
 bus sui filij Christi æmulatoribus reg-
 num, & incomparabilem filiorum
 Dei gloriam euexit, exaltauit, subli-
 mauit. Certè sic iam olim nostra fa-
 ctitare solet Ecclesia Christi Catholi-
 ca augustam illam victricis martyrij
 palmā ex decurso fortiter immaniū
 tormentorū stadio gratulatur. D. Cy-
 prianus Christianæ doctrinæ cum pri-
 mis peritus, suis exul mandat Presby-
 teris Carthagenensium, sacrificium
 pro eis Martyribus (inquit Epistola
 xxxiiij.) semper offerimus quoties
 passio.

D. Cyprianus.

Æpi. 34. et 37

passiones & dies martyrum anniuersariacommemoratione celebramus. Rursus idem planius. Celebrantur hic à nobis (inquit epi. 37.) oblationes & sacrificia ob commemorationem eorum. Sic ante ipsum Origenes, & magister Tertullianus. Plura de his in Apologetico nostro pro Concordia ad Germanos.

Quod post frigidas superiores canillationes assuit imperitus sutor, totus ex crassa rerum Christianarum ignorantia consutus Sadelius, fœdam eius demonstrat imperitiam, nisi malignissimam fortè quis rectius appellarit calumniam. Porrò cur corpus, inquit, & sanguinem Christi in coelū (ubi Christus sedet) deferri volunt per manus angeli? Istud Sadelii abs te calūniosè admodum confingi, vel inde tibi met ipsi, modò animum voles serius attendere liqueat, quod corpus domini non alia de causa consecratur & offertur, quàm vt post in cibum animarum, & panē vitæ æternæ filijs Dei cedat, quod vt tu sacramentaria perfidia infeliciter sanè percitus non credis:

dis:

*Improbæ Sa-
delij in catho-
licos calūnia
fustibus dig-
nissima.*

dis: ita legitimum eius usum quoque
cœcus non vides. Cæterum quod nu-
garis Catholicos orare, ut corpus Do-
mini in cœlum permanens angeli de-
ferant, tuæ improbæ est calumniæ.
Hoc enim nusquam Canone sacro le-
gas: sed ita habet: Iube hæc perferri
per manus S. Angeli tui in sublime al-
tare tuum in conspectu diuinæ maie-
statis tuæ. Igitur illud hæc numero
multitudinis in prece Ecclesiastica ex-
pressum, non ad corpus Domini po-
test referri: sed ad alia, quæ vnà cum
corpore Domini sunt pijs Altaribus
imposita. Item, ad pia orantis sacer-
dotis, & supplicantium auditorum
vota. Quod autem ad corpus Domi-
nicum nequeat pertinere, inde lique-
at vel cœco Caluinistæ, modò suos
tandem dignetur aperire oculos, si
non inuidiæ, aut malitiæ, certè perfidi-
æ glaucomate suffusos, quòd subse-
quuntur verba: In conspectu diuinæ
maiestatis tuæ. Quis enim Christiano
rum ignorat, iam nunc ex illo admi-
rando Ascensionis die ad dexteram
patris assidere pari gloria, æquali ho-
nore

nore, eadem maiestate. Porro quod in eadem Sacramentali prece subtextitur, ut quotquot ex hac Altaris participatione sacrosanctum filij tui corpus sumpserimus, omni benedictione cœlesti & gratia repleamur, apud hominem suæ mentis compotem liquidò euincit, vocem illam (Iube hæc perferri) non ad corpus Dominicum, sed ad sacras immolantium hostias referenda. Hoc enim notat illa diuini Altaris participatio, quòd præter corpus etiam alia habebat panis sacri quidem, sed non in sacrificium Domini corporis oblatis, vuarum, carni, vini, olei, aut similitum rerum hostias, non tantum in gratiarum actionem, sed piorum etiam usum fratrum oblatas.

Ex his Sadelij, nugatorias tuas, opinor, agnoscis notatiunculas, quas sacrilegè tui libri marginibus illinere voluisti, puta Missæ contradictiones. At candidus, spero equidem, Lector iam agnoscet nullas esse in S. Canone contradictiones, qui eius verba Germano ac vero sensu candidè volet accipere.

*Futilissimæ
Sadelij iactationes de Missæ contradictionibus.*

P

cipere.

cipere. Sūt quidem obscura quædam nobis, & rudioribus Lectoribus minus, quam par est, in antiquitate Christiana verlati, aut non satis eruditi.

*Alia olim
Christiani al-
taris facies,
quàm apud
Geimanos ho-
die.*

Olim res erat manifestior primæ illius Ecclesiæ temporibus, quando alia fuit Altaris Christiani facies, carnis, oleo, Balsamo, vino, pane, vis, aut alijs rebus decorata, cuius rei specimen, licet pertenuè, in quotidiana Græcorum Missa videre est. Plus his rebus obscuriss. accederet ex antiquitate lucis, si nostra sacramentalia, quæ tibi Missales placet appellare, essent antiquissimis illis siue titulis, siue quæ malit, rubricis ornata, quos olim plures fuisse arbitror, quàm modò habent, qui in quotidiano sunt nobis usu. Romæ nanq; in Vaticanam admissus pridem Bibliothecam vidi Sacramentarium, antiquiss. sanè, quod D. Gregorij magni habebatur. In eo dū redire illuc sæpiusculè animus erat, multaq; mihi excerpere, quod subitū in Hispaniam impediuit iter) vidi quædam paulò aliter. Item in illā precem
ni

(ni fallit memoria, mihi incredibili-
 ter senescens, & quod longo illo itine-
 re mihi periit, quod illic varijs de co-
 dicibus Græcis antiquiss. & castiga-
 tiss. excerpseram) *Super q̄ propitio*, aut, *Plus habet*
 supplices te rogamus, ad caput in te *D. Gregorij*
 xtu adnotatum legi, *super*, quod in no- *Missale in V^a*
 stris Missalibus nunquam hactenus *ticano, quam*
 potui reperire, licet plurimis locis co- *impressa, aut*
 dicibusq̄, antiquiss. non semel in His- *in vulgus no-*
 pania, & alibi perquisierim. Vocis il- *ta.*

lius Gregorianæ non certò nunc me-
 mini, hoc tantum memini, visum mi-
 hi tunc scriptoris vitio deprauatum,
 vocem Græc. am literis Latinis expres-
 sam, quæ nunc non occurrit, sed tunc
 memineram me in Liturgicis Græcis
 olim legisse castigatam.

Habuit & diuinum altare olim sa-
 cra dyptycha, quibus Sanctorum no-
 mina interibebantur Deo rememo-
 randa, vt eorum precibus & meritis *Dyptycha et-*
 populum suum tueretur, piè roga- *iam olim SS.*
 batur. De quo Ecclesiasticas consu- *altaribus op-*
 le historias Cedreni, & Nicapho- *posita.*
 ri, & aliorum. Latinis olim simi-
 les fuisse tabellas. (Nam Dyptycha

Græcis erant Plicatiles tabellæ atque bifores) permagna didici tandem animi voluptate, cum ante quadriennium in portu Bilbao exPortegalleho ad Occanum obambularem, vbi Ecclesia erat antiquitatis mirandæ, vti parietes & imagines supra ostij vestibulum testabantur.

In ea vidimus antiquissimam tabellam, quæ dyptichorum formam nobis diu desideratam, & Græcorum in libris sæpissimè requisitam, ni fallor, loquebatur, erat oblonga & plicatilis atque biforis, quæ Catalogum sanctorum habebat, & S. Canonem non parum ab impressis variantem, atque si me mini rectè, illi Gregoriano aliquot locis consentaneum.

*ardens calu-
miandi studiū
Sadelij dete-
gitur, quod
vni rei trans-
scribit, quæ di-
uersis sint tri-
buenda.*

Quæ porrò nugatur Sophista de pugna verborum S. Canonis, vno verbo diffiantur, si cogitemus offerri panem & vinum, vt diuina Spiritus sancti operatione fiant corpus & sanguis Domini: ad quæ duo distincta, si verba S. Canonis aptè, atque vti Apostolorum discipulis est congruum, accommodentur, nihil inueniatur absurdum, nedum

nedum impij, in tota illa Christiani sa-
 crificij actione. Quàm enim calumni-
 andi ardeat Sadelius iste studio, inde
 vel cœcis fiat perspicuum, quod ea,
 quæ diuersis rebus in sacrificio tribu-
 untur Christiano, ipse vni rei, putà
 corpori Domini transferit. Non enim
 solum immolatur Deo patri corpus
 Domini: sed panis, vinum, vnaque
 carnes, & quæ a vita maiorum pietas
 in pium egētium fratrum vsum iam
 pridem in Altari obtulit, indigenti-
 bus post sacrificium distribuēda. Hęc
 igitur orat sacerdos, durante antiquo
 hoc sacramētario, siue solēni cōsecra-
 di formula, qui Canon dicitur, quasi
 certus Christianè orandi & sacrifican-
 di modus. Hęc qui distinguat, non of-
 fendetur istis Sadelij malitiosis quiri-
 tationibus. Dixit enim Turcico per-
 citus œstro clamitat, Potestnè ali-
 quid dici absurdus, dum rogant vt
 corpus Christi Deus acceptum habe-
 at, quemadmodum olim accepta ha-
 buit Abelis & Abraham sacrificia?

*Vide hæc a-
 pud D. Aug.
 & alios de sa-
 crificijs Afri-
 cæ & Medio-
 lani.*

*Istud magis
 queat ex Sa-
 cramentali Va-
 ticano, quod
 D. Gregorij
 habetur.*

*Alia olim al-
 taris Christia-
 ni facies, quã
 nunc tempo-
 ris: quod ha-
 bebat vnas,
 panes & car-
 nes, &c.*

Certè Sadeli non magis in cœlos
 corpus Domini optat sacerdos trans-



ferri; quam oblata in altari vetere ritu poma, vinum, panes & carnes: quæ superius antè consecrationem dixit, dona & munera. Sic & hæc sacrificialis oratio, supra quæ, &c. non tam diuina illa cœlestium mysteriorum arcanæ respicit, quàm piè offerentium Dei seruulorum vota: quæ sacerdos precatur supplex, vt Deo Opt. Max. grata ad eum modum, quem XII nostri illi fidei parentes fœliciter sunt olim experti, sereno respiciat vultu, atque propitio. Ad illa respicere orationem, liquet ex sequentibus, vti legitur: Per quæ hæc omnia semper bona creas, &c.

Illud igitur: Accepta habere digneris, christianæ humilitatis vox est: quæ pius sacerdos tuæ sibi conscius indiguitatis impuri cordis, atque sordidatæ vitæ orat, ne sacrificium sua culpa atque vitio fiat, aut Deo ingratum, aut Dei populo inutile: quod alioqui nouit Deo patri prorsus omnium gratissimum, & suapte vi, & sui efficacia Dei populo utilissimum, perinde ac saluberrimum. Meminit enim Gregoria.

gorianę illius sententię pijs omnibus
 formidolosę. Cũ ad intercedendũ
 qui displicet, mittitur, offensi animus
 magis ad iracundiam prouocatur. I-
 taque sua & iustitia, & virtute sua om-
 ni, & meritis suis ad vnum omnibus
 meritò diffusus orat sacrificans, vetu-
 stissima illa Christiani sacrificij for-
 mula, non vt corpus Domini sit Deo
 patri gratum aut acceptum; sed vt do-
 na pijs altaribus voto Christiano im-
 posita, propter suam offerentis impu-
 ritatem, aut ingratitude, aut dis-
 plicientiam non respuat, sed propi-
 tio suscipiat vultu, sinuque excipiat
 paterno pusilla illa filiorum munus-
 cula. Frustrà igitur tibi triumphum
 Sadeli, antè victoriam canis: Nemo
 apud nos tam est fidei rudis, qui ne-
 sciat nihil esse D E O patri gratius,
 charius, acceptius: quam sit Domi-
 nus Christus, dilectissimus ille filius
 electus ex millibus: verum publica
 populi, siue sacerdotis (Nam vtrius-
 que est communis) Christiani oratio
 non hoc respicit: sed pium offerenti-

*Sadelius sibi
 triumphũ ca-
 nit ante victo-
 riam.*

tium affectum, & ardens omnium filiorum Dei votum. Nimirum ut eo usu & fructu à patre nostro cœlesti suscipiantur clementer à nobis indignis, & offensatoribus oblata, quem & Abel, & Abraham, pij Dei cultores sunt experti: puta ut ipsum sentiant per oblatum Christi Domini corpus propitium, placatum, clementem, ac verè pium patrem: qui gratis suis filiis indulgeat, ut oblatio ista mystica profit ad vitam æternam, & salutem perpetuam. Sicuti sequentibus eiusdem sacrificij orationibus, quas post communionem concinit sacerdos, non rarò exponitur: Eat nunc iste carneaditus argutator Sadelius, & dispiciat paulò acutius, an de Catholicorum doctrina verè dicatur, quod de Heraclito & Anaxagora olim dictabatur, eorum sententias seipsas tollere. Si enim oculos sibi aperiri patiatur, eius vœlana cœcitas agnoscat, (quod Christus faxit propitius) immeritò sese adeò atrox nobis conuictum fecisse.

Quar.

Quartum syllogismum ita fabricabat Sadelius. Omne dogma cuius antiphrasis (& contradictio) dilucidis expressisque verbis extat in scriptura ab omnibus Christianis constanter repudiandum est. Dogma de sacrificio Missæ est eiusmodi, ut eius antiphrasis & contradictio dilucidis, expressisque verbis extet in Scriptura.

IV.
Hic paralogismus propter summationem manifestè falsam, non meretur quidem nomen sophismatis, multò minus veri syllogismi.

Quare dogma de sacrificio Missæ, ab omnibus Christianis constanter repudiandum est.

Quia minorem sibi agnoscebat falsam negandam, multa cumulat ex non intellecta D. Pauli ad Hebræos epistola: quibus eam stabilire conabatur. Ad quæ uniuersa vno responderetur verissimo verbo, ea non contradicere quotidiano Ecclesiæ Christianæ sacrificio, quo Domini Christi corpus Deo patri offertur, quia de alio genere, modoque oblationis D. Paulus contra Iudaizantes semichristianos agit: quam à Catholicis immolatur. Hoc dilucidè vna illa vox Paulina, Semel nobis attestatur: quæ in quinque locis à Sadelio allegatis reperitur.

P 5 Quæ

Quæ si consideratè attendat prudens & non indoctus S. Theologiæ lector, agnoscat facilè D. Paulum tota illa doctissima disputatione non de alio Christi Do. sacrificio agere; quàm quod erat abolendo illi Mosaico antitypo, siue quod illi S. Spiritus mystagogia erat oppositum; per quod vetera ad vnum omnia Aaronica semel abolerentur; siue potius perficerentur, atque consumerentur, nobisq; aperiretur sanctorum, hoc est, regni cœlestis via. Quò igitur Iudaizantibus illis Christianis suum ad Moysen reditum ex dolosa Phariseorum quorundam fraude parantibus, illorum infirmitatem & imperfectionem, imbecillamque purgandi à peccatis energiam, ac veram apud Deum sanctificandi impotentiam, confert à maiori sacrificium Christi cum Mosaicis: quæ imbecilla, rudia, & imperfecta, vereq; in Christum venturum typica & præfiguratura Do. Christus vnica sua in cruce, iuxta prophetias, immolatione impleuerit, perfecit, aboleuerit. Qd̄ cum vna præstiterit Do. Christus

stus

stus hostia, meritò illi omnia cedere
Aaronica, velut typica, imperfecta, im-
becilla, & ad quoddam duntaxat tem-
pus instituta: donec ab illo æterno sa-
cerdote iuxta ordinẽ Melchisedech
Archipresbytero corrigerentur, im-
plerentur, & omnibus verè sanctimo-
niæ numeris perficerentur.

Hęc vnica igitur Christi Do. obla-
tio in cruce legitimè atq; efficaciter
peracta non pugnat cum quotidiano
Ecclesię Christianę sacrificio, quo idẽ
corpus Dominicũ in cruce oblatũ, &
hodie patri Deo immolatur, q̃a Chri-
sti Do. vice aliter, modoq; alio imola-
tur. Sicuti doctiss. in S. Trident. Conci-
lio est declaratũ. Cui aũdaculus obgã-
niens Sadelius, hoc dicto quicquam,
inquit, vix dici potest imperitius. Cau-
sam iste sophus suę cęsuræ hęc adfert.

Etenim is est modus oblatiõis Chri-
sti, vt semel, & ab ipso Christo tãtum
feri potuerit, quemadmodum ex A-
post. antè audiuius, & cũ ille modus
necessariò insit in oblatiõe Christi, si
quis eã consideret, siue hoc modo, il-
le profectò negabit ipsum esse ipsum.

Atqui

Atqui iam diximus, Sadelii, B. Apostolum de certo immolationis Christi Domini genere agere, quo sese ut Mosaicorum sacrificiorum antitypō Deo patri offerret. Istud offerendi genus, siue modus postulabat illam dirā diuini sanguinis Do. Christi in ara crucis effusionem; quam Aaronicæ hostiæ singulis diebus iteratæ præfigurabant: sed citra sanctificationem, aut veram peccatorum remissionē; qui effectus vni, & soli debebatur & seruabatur sacrificio Domini Christi cruento, siue carnali cum veri sanguinis effusione, diraque mactatione cōiuncto. De hoc immolandi corporis Christi modò D Paulus differit, ut semichristianos illos Iudaizantes à studio Aaronicarum hostiarum auocet, atq; ut contenti illa vna cruenta Domini Christi in ara crucis immolatione, à carnalibus illis Mosaicis hostijs sanguinolenta mactatione horridulis discedant, Missas faciant, deserant, relinquunt ceu imperfectas, inefficaces, ac verè superstitiosas, sicut filum disputationis Paulinæ prudenter inspicien-

spicienti erit manifestum, præcipuè si
 Orthodoxorum Patrum, vt Chryso-
 stomi, Augustini, Theopol. Oecume-
 nij, Photij, & similium eruditiorum
 commentarios vigilantia studio euol-
 uat. Hunc autem offerendi modum,
 vt ipse Dominus Christus sua in per-
 sona, & dira sui sanguinis in crucis a-
 ra effusione peragat, non est in omni
 eius sacrificio necessarium. Siquidem
 & ipsum in cœlis Deo patri sese im-
 molare, inficiari nullus ausit: cui mo-
 dō sit notum Christi Domini Media-
 toris officium. Sicut enim pro nobis
 etiamnum interpellat, teste D. Paulo
 tametsi fuerit in sua illa S. Crucis de-
 precatiōe, Pater ignosce illis? sua pro
 reuerentia exauditus: ita & pro nobis
 etiamnum sacrificat; sed aliō atque a-
 lio modo. Quod ne quis præ imperi-
 tia respuat, audiat, quæso, D. Ambro-
 sium hac de re differentem. Illa igitur
 nobis expetenda, inquit libr. 1. Offi-
 ciorum, in quibus perfectio, in qui-
 bus veritas est. Hic vmbra, hic imago;
 illic veritas. Vmbra in lege: imago in
 Euangelio: veritas in cœlestibus. An-
 te

*Christum sese
 Deo Patri
 quotidie offer-
 re in cælo pro
 nobis.*

tè agnus offerebatur, offerebatur vitulus nunc Christus offertur: sed offertur quasi homo, quasi recipiēs passionem: & offert se ipse quasi sacerdos vt peccata nostra dimittat. Hic in imagine, ibi in veritate, vbi apud patrem pro nobis quasi advocat⁹ interuenit. An D. Ambros. ignorarit, Sadeli Christum semel Deo patri se obtulisse? vnica oblatione electos sanctificasse? semel eum esse oblatū, vt multorum peccata tolleret? sed quis tam reperitur effrons, qui tanto viro tam improbum obijciat conuictum? An D. Paulū non intellexerit? quis ardilio inueniatur adeò impudēs, cui hoc in buccam veniat? Alium ergo immolandi & offerendi Do. Christi agnouit modum D. Ambrosius, cum toto Patrū Orthodoxorum choro, quàm in ara Crucis fuit effuso eius sanguine nostræ salutis pretio exhibitus.

Quod si illa in cœlis oblatio Christi non pugnat cum vnica illa cruenta in cruce oblatione, quia modo fit ardilio, quàm illa fuit immolata, quis tā inueniatur vācors, qui non sentiat
nec

nec istam quotidianam, quæ vice Do-
mini Christi in Ecclesia Deo patri in
recordationem illius cruentæ in ara
crucis oblatæ offertur, non pugnare,
nedum aduersari, cum alio fiat mo-
do, quã illa vnica fuit pro salute mun-
di Deo patri exhibita. Longum igitur *Discrimẽ ob-*
tur est discrimen sacrificij nostri quo *lationis Chri-*
tidiani in Ecclesia Deo patri oblato ab *sti in cruce à*
illo, quod ipse Do. Archipresbyter & *quotidiana.*
Apostolus fidei nostræ in ara S. crucis
pro mundi salute obtulit.

Illic ipse sua in persona sese imma- *Hebr. 5.*
culatum obtulit per spiritum sanctũ
Deo viuenti: hic minister, siue hypo-
presbyter, siue Vicarius offert eius
vice corpus & sanguinẽ ipsius, vti do-
ctiss noster Cypria. iam pridem edisse
ruit. Sic & D Ambr. com. ad Timot.
4. Sacerdos auctoritatem accepit, in-
quit, teste conscientia sua, vt audeat
vice domini sacrificium Deo offerre.
Illic suo diriter effuso sanguine patris
iram pro vniuersis hominibus placa-
uit: Hic minister, in effusi illius pro
mundi reconciliatione sanguinis re-
corda-

cordationem, eundem Christi Dom.
sanguinem in quotidianam nostra-
rum transgressionum expiationem.
Illic offerebat Christus seipsum pro
totius mundi reconciliatione. hic e-
ius minister non pro infidelibus, non
pro Iudæis, non pro Turcis, non pro
hæreticis, schismaticis, aut excommu-
nicatis; sed tantum pro fratribus Or-
thodoxæ atque Apostolicæ fidei cul-
toribus tota cum Catholica Christi
Ecclesia communicantibus, illam-
que pacis Christi & Ecclesiasticæ con-
cordiæ unitatem in vinculo pacis cu-
stodientibus.

Ephes 5.

Vides nunc, opinor, Sadelii frater,
non omnem oblationis Christi Do-
modum habere illam cruentam san-
guinis effusionem: sed tantummodò
illam, quæ fuit iuxta Propheticos ty-
pos in ara crucis peragenda. Atqui re-
pugnat Philosophia, inquis, cuius ig-
norantia docetis, ipsum non esse ip-
sum. Bona verba quæso, idem est no-
stra fide Christiana, qui utrobique of-
fert: sed illic sua in persona expletu-
rus typum Aaronici sacrificij. Hic
quo-

*Sophista in-
doctissimū Sa-
delij ex philo-
sophia cæca.*

quotidiè non sua in persona, sed in vicario, siue per Hypopresbyterum suum, qui testibus DD. Ambrosio, & Cypria vice Dom. Christi Deo patri eius corpus offert, & sanguinem. Sicuri & Oecumenus interpretatur illud Paulinum: Omnis Pontifex, & con. *Hebr. 5.* seq. cap. 5.

Patres igitur Tridentini Concilij non crassissima, quod pueriliter conuitiaris, laborarunt ignorantia, dum idem in utroque asserunt offerri sacrificio: sed alia ratione, modoque alio quem superius satis opinor explicatum, solideque confirmatum. Hinc verum videre volentibus, satis perspicuum fiat, quotidianam Christi in Ecclesia oblationem incruenta, siue anemacta, ut loquuntur in SS. Oecumenicis Concilijs, & Ephesino Alexandrino, & alijs PP. nostri orthodoxi, quæ fit citra cruoris effusionem, non aduersari illi originariæ in crucis ara peractæ.

Quæ porrò subtexis ut Catholicos conuincas ipsam artem rectè differendi violare, paucis refellamus, ut agnoscat

Q scat

scat candidus lector, telam aranearū,
te hic, vt & alibi, texuisse.

*Ex categorijs
Arist. sophis-
ma insulsum
Sadelij.*

Ex Aristotelis Categorijs subtiliter
vis nos tuis gryphis concludere. Vni-
us substantiæ, inquis, sunt plures acti-
ones & passionēs, eius quædam sunt
eiusmodi, vt sint singulares, nec vn-
quam possint iterari. Vt mors & re-
surrectio Christi. Iam ipsa Christi ob-
latio necessariò ipsi mortē includit.

Istud generaliter tibi negamus, sed
verū assentimur de illa originaria ob-
latione; qua typos illos Mosaicos o-
portebat tum dira sanguinis effusio-
ne, tum corporali morte impleri.

Quod porrò nugatur ex Aristoteli
cis Metaphysicis, nos PP. orthodoxos
sequuti, Christiana cōtenti doctrina,
strophas illas de specie actionis & pas-
sionis, quas nos cōtra philosophiam
fingere ait, cuius plures actiones ex-
dem numero esse possint, nosociofio-
ribus discutiendum relinquimus, an
eiusdem rei passio alio atq; alio fieri
nequeat modo, relatione ad diuersa
facta: potiss. si secunda siue subsequēs
in prioris fiat recordationem, siue re-
præsentationem.

Ru.

Rudioribus ergo fratribus confirmandis consulentes, subtextos Sadelij acutos gryphos retundamus.

Nullum dogma, inquit; quo legalium ceremoniarum vmbra reuocantur, recipiendum est. v.

Dogma de externo & reali Missæ sacrificio est eiusmodi, vt eo legalium ceremoniarum vmbra reuocentur. *Hic manifestè falsa sumptione nititur imponere incantis.*

Quare dogma de externo & reali Missæ sacrificio recipiendū non est.

Vt hic æstuet Sadelius in sua minori confirmanda, sanè videre est lepидum. Equidem ea pericope perlecta, exclamare cogor: parturiunt montes, nascetur ridiculus mus! Quia in Altaribus vsus est Cortinarum & candelabrorum, vult Catholicos per Ca-cozeliā, ritus in Ecclesiam inuehere Iudaicos. O delicatum censorem! Si hæc & similia, quibus & Iudæi vtentur suis pijs in ritibus, inducunt Iudaismum, mirandum sanè, quanā fronte vos vestra peragitis sacra subvelis & tentorijs.

Q²

An

An non ita in Haga Hollandiæ, anno 66. quando in colle viuarij, quem dicunt Tiliarum vmbra amœnissimo, plurima tendebatis vela, vt auditores vestri mollius simul & delicatius excepti, vestra copiosius haurirent venena?

Sed quid siparia nostra & candela bra cum Iudaicis commune habent? cum illa certo & loco, & typo adhibebantur, nostra minimè.

Illud ex tanto nugarum cumulo non est silentio prætereundū, vt Missam nostram conuincat esse Iudaicā, ait quosdam dicere vocem esse Hebraicam. Quod si vox Hebraica vtrupta Iudæos facit, certè vos Iudaizatis, Sadeli: quando vestris in sacrilegis conuenticulis ac Sathanæ Synagogis aut Epheta, aut Ofanna, aut Alleluia, sonatis, aut Amen reboatis.

Longum foret singulas nugarum Sadelianarum quisquillas refellere, quæ intelligentibus risum magis mouent, quā aliquid adferant dubitationis, aut tuto hiatu Sadeli dignum.

Sex.

Sextum eius Syllogismum igitur expendamus.

VI.
Syllogismus
contentiosus,
ex eo quod
prima fronte
simplicibus
videtur pro-
babile.

Si in Missa sacrificium sit propitiatorium pro peccatis, ergo (quod abfit) stare non possunt hæc Christi verba, Consummatum est: quod de his Apost. verbis dicendū: Et consummatus factus est author salutis æternæ, &c. Unica oblatione consummauit in perpetuum eos qui sanctificantur, Hebr. 10. &c.

Unicum illud Dom. Christi Iesu in ara crucis Sacrificium propitiatorium nullus inficiatur, neque docemus alio esse opus sacrificio: sed sicuti nõ repugnat meritò, aut sanctificationi, aut expiationi passiois Christi in cruce factæ, quòd in mortem & resurrectionem Christi baptizamur; ita eius sacrificio S. Crucis non aduersatur, quòd ob memoriam passionis & resurrectionis eiusdem, offerimus corpus & sanguinem Domini Deo patri; vt propitiationis in Cruce impetratæ nos quoque simus participes, aut plenius eo atq; copiosius perfruemur. Quod si facere citra grauem

Q 3 Chri-

Christi Do. sacrificij iniuriam non licet, certè nec baptizare licebit in remissionem peccatorum, quã in cruce factam contenditis. Sed absit blasphemia in veneranda Christi Do. Sacramenta? cùm ea suis in Catholica instituerit Ecclesia, vt meriti sui nos faceret participes, atq; immensorum adeoq; inæstimabilium beneficiorũ sua morte nobis impetratorum consortes: quæ nobis varium in vsum varijs administrantur Sacramentis Ecclesiasticis, iuxta Apostolorum ritũ adhibitis.

*Christi Do sacramenta in-
star canaliũ
sunt gratiam
eius diffundẽ
tium in credẽ
tes ac idonee
preparatos.*

Sunt enim veluti canales quidam ac tubi aquarij, quibus salutaris illa fontis æternæ vitæ, iuxta Zachariam, in cruce aperti vnda nobis deriuata promanat.

Quicquid igitur siue baptizatis, siue poenitentibus, siue ijs, pro quibus in Ecclesia offertur victima illa æternæ salutis, impartitur gratiæ cœlesti, non alteri vlli rei, quàm vnico illi sacrificio in cruce propitiatorio acceptum referri potest.

Re.

Remissio namq; peccatorum effectus est illius in cruce oblationis : cuius nullus est particeps, nisi cui per Sacramenta CHRISTI ea communicatur.

Est enim veluti medicamentum, non quidem omnibus, sed in Christum credentibus, ex animoque peccatorum suorum poenitentibus, repurgandis, reconciliandis, sanandis propositum: quod qui non haurit, eius non potest esse particeps, aut communionis salutaris socius.

Qua de re vide D. Aug. de articulis ipsi falso impositis.

Hæc igitur participatio remissionis peccatorum per Christi sacrificium nobis impetratæ, immò perpetratæ, dum per sacramenta eius Baptisma, Poenitentiam, & S. Altaris oblationem credentibus distribuitur, & comunicatur, adèd non arguit illud in cruce fuisse imperfectum, quasi per ista posteriora perficiatur, aut plenus reddatur, vt imperitè Sadelius

Q 4 argu-

argutatur, vt longè omnium perfectissimum pijs ostendatur. Dum enim posteriores istæ peccatorum remissiones, veniæ, aut indulgentiæ paternæ credentibus impenduntur, siue cœlitus per Christi Sacramenta distribuuntur, sui vsu ingenti illum fontem quasi digito intento pijs demonstrât, vnde suam hauserint vim diuinam, & humano ingenio nondum fide illuminato, aut cœca errorum nebula nondum liberato incredibilem efficaciam.

Dum enim singula eò ablegât hominem, vt in Christum respiciat crucifixum (quandoquidem per SS Crucis signum religiosè singula vtentibus administrantur) tantum non clara proclamant voce, sibi nihil per se virium, aut diuinæ adeò virtutis inesse, nisi ex illa S. Crucis ara haustum, atq; copiosissimè pijs depromptum. Pueriliter igitur Sadelius errat, dum vsque & vsque clamat, alio non esse opus sacrificio, si illud in Cruce perfectum est. At idem & nos dicimus, negantes quotidianum sacrificium corporis

poris Domini esse ab illo aliud; sed idem, suæ eiusdem est rei oblatio, licet diuerso & modo, & ratione: quam ibi fuit oblatum, vt superius est diffusè ac luculenter pio non præfracto lectori declaratum.

Vrget vltèriùs improbè Sadelius, si chirographum peccati affixum fuit Cruci, non opus est alio pro peccatis sacrificio propitiatorio. Alio, mi frater Sadelii, nō est opus propitiatorio, quia vnum illud est abundè satis, si hominum numerus vel duplicatus, vel centuplicatus foret, vnicum illud vniuersis quidem sufficeret, opus tamen foret, si quis eius vsu & beneficio velit frui, vt hoc per illa sibi adhibenda curet remedia, quæ pius medicus omnibus ex æquo paratissimus instituit haurienda suis in Sacramentis, siue baptismi, siue pœnitentiæ.

Non igitur Catholici affixum Crucis chirographum conamur detrahere, nostroque Missæ sacrificio perperam affigere, vt Sadelius nobis illudens impiè criminatur, adeoque conuitiatur: sed illo vnico plenè conten-

Q 5 tino

Omnis peccatorum venia ex vno S. crucis fonte credentibus promanant.

ti nobis per media Apostolica à Christo Domino tradita, illius chirographi oblationis fieri particeps, diuinæque illius liberalitatis omnibus in Dei filium verè credentibus, & peccatorum suorum pœnitentibus, propositæ consortes. Ad eò igitur nostro Missæ sacrificio, illud Paulinum, chirographum delicti non affigimus, vt ei ex illo Crucis, aut infami patibulo, aut glorioso Christi vexillo precariam postulemus efficaciam, siue liberalem remissionis in Cruce solidè peractæ communionem, & gratuitum participium: ex qua nisi nobis profluat, inanis est omnis nostra & supplicatio, & oblatio. Liqueat igitur, & in Sacramentis Baptismi, & Pœnitentiæ, & in sacrificio Missæ veram fieri applicationem diuinæ illius virtutis: quam Dominus Christus cruento suo sacrificio in cruce nobis effecit. Quod enim Sadelius suis cum manipularibus Christomachorum persuadere imperitis nituntur, tunc homines fieri sacrificij Christi participes

Communicatio sacrificij crucis non fit sola fide credentibus.

cipes, quum ipsum vera fide recipimus, frivolum est; Reclamat enim tibi Sadeli frater D Petrus, qui Iudæis die Pentecostes, ad Deum conuersis remissionem peccatorum pollicetur non credentibus, sed pœnitentibus, & sanctum Baptisma suscipientibus. Vidén Sadeli te tuis cum Pseudoprophetis puluillos peccatori populo sub utroque cubitu consuere? omnia Christi beneficia vos noua vestra Theologia, & verè Ethelotrescia hominibus vultis sola fide applicare, vt vbi Euangelium audierint, mox remissionis peccatorum per Christum promeritæ sint participes: Sed verbum Dei præter fidem postulat à credentibus in Christum Dei filium pœnitentiæ ac Baptismi Sacramentum: qui duo sunt tubi, salutareque canales, per quos efficacia effusi pro nobis in Cruce sanguinis salutariter demum deriuatur.

Actor. 2.

Ezech. 5.

Sibi ergò miserè illudit Sadelius, dum verba S. Concilij Tridentini, canino arrodit genuino, quod virtus

Concil. Trid. doctrina defensa contra indocti Sadelij latratum.

eru.

cruenti salutaris sacrificij in remissionem eorum, quæ à nobis quotidie committuntur peccatorum, applicatur. Si enim candido & non inuido animo hæc S. Concilij doctrinam vellet agnoscere, videret per quotidianum Missæ sacrificium, vim illius in cruce sacrificij adeò non contumelia, ne dum iniuria affici, vt honoretur magis, & laudetur impensius. Omnis enim honor, actio, efficacia huius quotidiani sacrificij suum illum vt inexhaustum, ita perennem respicit, inò respicit fontem de latere crucifixi pro peccatis nostris Domini in nos salutariter promanantem.

Proinde tua illa conclusio, Sadelii, planè ficulnea est, & pueris ridicula. Si applicatio sacrificij propitiatorii, non est ipsum sacrificium propitiatorium, sequitur in Missa non fieri sacrificium propitiatorium: Quia in Apostolica Missa tantum oblatio fit corporis Dominici, ob memoriam passionis & resurrectionis pro nobis domini Christi. Non igitur alia est oblatio, aliudve sacrificium ab illo, quod à Do.

à Do. Christo fuit pro nobis oblatum in odorem suauitatis, sed illius vnici religiosa commemoratio: quæ Catholicis longo maiorum nostrorum vsu vocatur sacrificium propitiatorium, sicuti verbis D. Augustini quæst. 4. ad Dulcitium, & aliorum dudum ostendimus. In eandem sententiam & D. Athanasius loquitur de hoc ipso sacrificio pro pijs defunctis oblato. Vide huius Homiliam per ipsum Oecolamp. conuersam de piè in Christo defunctis.

Vlterius nobis obijcit Sadelius, quòd nobis ipsi contradicimus, quādo sacrificium Missæ prodesse docemus tam sacerdoti, quàm alijs, pro quibus offertur: cum ille accedere nō debet inquit, ad altare nisi confessus & absolutus fuerit; quo respectu, sacerdotis sacrificium istud propitiatorium pro peccatis esse non potest.

Potest, mi Sadeli frater, si iuxta verbum Dei crederes peccati nomen nō solum culpam habere: sed reatum etiam, siue ad cruciatum, iustamq; expiationem meritarum pœnarum obligatio.

Nominis peccati acceptio duplex.

ligationem. Sic sanè in Dauide accidisse nullus inficietur, qui post transfatum & remissum adulterij peccatum, acerbis tamen luit poenas, easque longas & sæuas. Valet namque illa diuini sacrificij in cruce oblata religiosa commemoratio ad omnem animæ humanæ labem sanandam: reatum eluendum, vitia curanda, cicatrices ex peccatis reliquas obducendas. Denique omnia tollere valet, quæ pios in Christum credentes à regno paterno valeant non solum excludere, sed aliquo etiam pacto impedire, distinere, remorari.

Est enim Telete Teletōn, perfectio perfectionum, consecratio consecrationum, siue sacramentum sacramentorum: quum omnē Christianis perficit animarū sanctificationē. Liqueat igitur, sacrificiū dominici corporis & sang. quod Catholica Christi Ecclesia pro peccatis ex doctrina offert Apostolica, nō pugnare cū illo cruento in cruce sacrificio, sicut nec Baptisma, quod in peccatorum confertur remissionem, pro quibus abolēdis Christus est mortuus. Sed

Sed non potest Sadelius carneadum hūc syllogismum suum missum facere, nisi alium nobis obijciat arietem prima sui facie horridulum; fanè, si præfationem eius magnificam audias, grandemque plenis buccis hiatum.

Vlteriùs etiam progredior, & affirmo, hoc, inquit, commento rucere aliud Pontificiorum commētum de Poenitentia, Indulgentijs, & clauium potestate. Atqui non fatis est Sadelii, istud iactitare magnificum, & vt tibi videtur præclarum axioma, probatum oportet, quod tibi arroganter a deò sumis. Tradunt enim in poenitentiae Sacramento, quod vocant, inquit merita Christi dispensari à sacerdotibus, & ita poenitentibus applicari, vt planè à peccatis liberentur.

O ineptum calumniatorem? qui ad suum impudenter hiatum explendum Catholicis, dogma falsum affingit. Non enim in poenitentiae Sacramento à peccatis planè liberantur homines, q̄a ipsis satisfactio imponitur, vt pro

Falsum affirmat Catholicis Sadelius.

pro reatu peccatorum remissorum
 restante nunc post absolutionem, ut
 olim antè, lugendo, ieiunando, cor-
 pusque affligendo, agant pœnitenti-
 am. Restare namque reatum luendū
 post culpā peccati remissam dudum
 Davidis exemplo fecimus manifestū.
 Ridicula igitur illa est Sadelij excla-
 matio, obsecro si hæc vera sunt, in-
 quit, quorsum ergo ista Missalis appli-
 catio? Atqui vera nō sunt Sadelij, quæ
 impiè tibi sumis, & nobis Sycophan-
 ticè affingis.

Habet igitur illa Christiani sacrifi-
 cij applicatio suum vsum Euangeli-
 cum, quādo pro pœnitentibus offer-
 tur illud omnium lōgè gratissimum
 Deo patri sacrificiū, ut in illius, quod
 in S. Cruce oblatum fuit gratiam, hu-
 ic viuo pœnitenti, aut illi piè in Chri-
 sto defuncto ad veniam prosit, piam.
 que aliquam meritæ pœnæ eblandia-
 tur veniam, clementemq; impetret
 precario indulgentiam.

*Quest. 4. ad
 Dnlc.*

Quod adeò verum est, ut D. Augu-
 stinus locis varijs docere non dubi-
 tet sacrificium Altaris tam esse Deo
 patri

patri gratum, ut pro quibusdam piè
in Christo defunctis, oblatum sit pro
pitiatorium: nimirum ut misericor- *Hom. 14. de*
dius cum eis castigandis, aut punien- *verbo Apost.*
dis agat, quàm erat citra illud suo iu-
re acturus.

Tandem conclusurus Sadelius no- *Gemina Sade-*
ua, sed geminata putavit calumnia *lij in Catholi-*
rem agendam fortius, denique cum *cos sy. ophan-*
dicunt homines, inquit, in gratiam *tiã retinuitur.*
recipi per Missæ sacrificium, acceden-
teorum fide, tollunt quod alibi af-
firmant de opere operato.

Geminam istam calumniam, Sade-
li, pudet equidem multis refellere.
Non enim docet Catholica Christi
Ecclesia homines per Missæ sacrifici-
um à Deo in gratiam recipi, siue pec-
catum mortale, quod Deum offende-
rat, remitti, id enim propriè Baptis-
mi & pœnitentiæ sacramentum dun-
taxat faciunt: quibus est ea promissio
in verbo Dei peculiariter addita. Hæc
enim duo tantum homines Deo re-
conciliant in Christi sanguine, siue
ex hostibus reddit gratos; ex inimicis
amicos; ex proscriptis & regno abdi-
catis

R

catis

catis gratiss. filios & dilectissimos regni cœlestis hæredes.

Atrox Sadelij in Catholicos calumnia

Reliqua verò sacramenta suo in genere purgant, sanant, & sanctificāt, ad vsum illum adhibita, in quem sūt diuinitus instituta. Sed atrocior est calumnia, quòd nobis affingis Sadeli nos docere istam reconciliationem, cum Deo fieri accedente fide. Imò accedentibus Christi Sacramentis. Soli enim fidei apud Catholicos locus nō est, in hoc reconciliationis negotio, quæ tota ex administrati sacramenti efficacia est petenda: non tamen sine suscipiente fide, si per ætatem aut valetudinem licet.

Non igitur tollimus opus operatum, vti opinaris Sadelij; sed illud in primis statuimus in sacramentorum administratione, quod suum edunt & proferunt salutarem effectum in suscipiente idoneè satis preparato: quia illud opus, quo sacramentum, tinctio scilicet aut absolutio, agitur, hoc ipso opere quando ritè agitur, sacramentum suum edit sacrum effectum, à quo suum sortitur nomen.

Vides

Vides igitur, ni fallor Sadeli, te tu-
is nec conuitijs, nec sophismatibus,
nec Sycophanticis calumnijs Sacrifi-
cium propitiatorium Apostolicæ Li-
turgiæ, siue Euangelicæ Missæ sustu-
lisse: sed immotum stare ostendisse.

Septimum Syllogismum ita con- VII.
fruit Sadelius: Si in Missa fit sacrifici-
um propitiatorium pro peccatis: er-
go (quod absit) irrita sunt hæc Apo- Hebr. 10.
stoli verba: Vbi est peccatorum re-
missio, non est amplius oblatio pro
peccatis.

Purgatione peccatorum nostrorū Hebr. 1.
per seipsum facta, sedet ad dexteram Error ex accō
maiestatis in excelsis. Consequens est dente.
impium, ergo est antecedēs impium,
& vi consequentis sacrificium Missæ
reijciendum est.

Sacrificium Apostolicæ Missæ irri-
tum non facit, nedum repugnando
abolet Paulinam hanc sententiam, v-
bi est peccatorum remissio, non est
amplius oblatio pro peccato. Heb. 10.
Loquitur enim de inefficacia oblati-
onum Mosaicarum, quæ hoc ipso sese

R 2 con-

conuincebant imbecillas, imperfectas, & inefficaces, quod erant quotānis, immò plerūque quotidie pijs repetendæ, atque noua pecuini sanguinis effusione, si non horribiliter, certè diriter iterandæ. Quod in Euangelico Christi Do. sacrificio non habet locum. Semel enim obtulit se nobis æternam inueniens, siue pariens, efficiensque redemptionem, siue solidā peccatorum remissionem.

Ideoque oblatio talis in Cruce, & cruenta puri sanguinis effusione repeti, aut iterari nullo modo queat; ne prior illa cum Aaronicis videatur irrita, imperfecta, & inefficax. Hanc autem oblatis in cruce à Do. Christo sacrificij efficaciam non facit irritam, nedum abolet, abrogat, delet, aut inefficacem arguit ista præsentatiua, siue rememoratiua corporis Domini. ei oblatio, quia non fit eo modo, nec eo prorsus effectu, quo est à Do. Christo cum dira sui sanguinis effusione semel peracta.

Longè igitur inferior, & ex parte, ut ita dixerim, inefficacior, siue minus

nus generalis est Euangelicę Missę oblatio, quàm fuit illa à Dom. Christo cruenta specie, cum clamore valido, & lachrymis immolata. Non enim ipsa peccata, siue peccatorum culpam & transgressionem diuinę legis, reatum & offensam, qua homo factus est Dei hostis, imò ipsi exosus, regnoque abdicatus & exhæres: sed illas tantum peccati reliquias, siue pœnas, quas diuina iustitia instituit luendas omnibus, qui in diuinę legis præuersionem post baptismum fuerint relapsi. In cruce autem Domini oblatio fuit, quę copiosissimè Deo patri pendit, atq; persoluit pretium, quod pro vniuersis vniuersorum humani generis peccatis, & transgressionibus Deo patri debeatur. Deinde quę in Altari fit, precariò impetrat, non per cruentam hostiæ ad eò sanctę, purę, atque immaculatę mactationem: cuius tantum in Missa fit recordatio, & pia religiosis verbis, ritibusque Apostolicis repræsentatio. Pari modo irritum non facit, nedum abolet Euangelica sacrificij Apostolici oblatio,

R 3 quod

quod D. Paulus docet : Purgatione peccatorum per seipsum facta, sedet ad dextram Patris. Affirmamus enim fuisse illud in Cruce Dom. Christi Sacrificium efficacissimum, plenissimum, omnibus partibus perfectissimum; numerisq; adco absolutissimū: cui nihil cū deest, nihil addi queat, qđ ad plenam perfectamq; peccatorum humani generis vllō pacto faciat expiationem, aut animarum sanctificationem. Hanc autem peccatorum purgationem & expiationem ita contigisse hoc Dom. Christi sacrificio sacræ literæ nos docent, vt ea purgatione stante, ac valida & perfecta permanente, admittat tamen hominis Christiani poenitentiam, fletum, ieiunia, chameunias supplicationes, & pia q̄dam elemosynarum sacrificia: quæ aliquo sensu peccata etiam purgare, aut mundare, imò redimere atque delere in verbo Dei dicuntur. Verū hæc non faciunt ista pia opera, siue sacrificia nisi ex fide in Deum facta, & hausta suo ex vnico illo veræ purgationis fonte, de transfixo Crucifixi pro nobis Dom. Christi Iesu latere copiosiss.

simè iuxta ac omnibus vera Euangelica fide in ipsum credentibus saluberrimè promanante.

Sicuti ergo purgatio peccatorum, quæ per eleemosynas fit, teste Domino Christo, aut redemptio, teste Daniele, non pugnat, nedum abolet illã Dom. Christi purgationem in Cruce impetratam, & omnibus modis absolutissimam: sed eam suo vsu magis confirmat, statuit, immò exornat: dum suam inde vim solum hauriat; ita & religiosa Euangelicæ Missæ oblatio, quando pro peccatorum reliquijs, siue pro reatibus remissorum peccatorum restantibus pia commemoratiõe Deo patri offertur in eam, non est iniuria: nedum imperfectam docet, aut inefficacẽ demonstrat: sed fontẽ illum à Christo apertum, pia cõmemoratione Do. Deo patri reuerẽter ostendit, vnde precariò aliquid sibi humiliter implorat impartiri.

Quo hanc solidã Catholicæ Christi Iesu Ecclesię doctrinam in Concilio vniuersali firmatam, vnanimiq̃ue totius orbis Christiani consensu consta-

*Falsum Ca-
tholicis affin-
git Sadelius.*

bilitam sophistica strophæ euerteret Sadelius, inauditam perinde ac falsam Catholicis per calumniam affingit distinctiunculam: quam faciunt in Missa secundariam, inquit, purgationem: in cruce primariam. At impudenter facis, ne sacrilegè dicam Sadeli, quòd tuum figmentum Catholicis obtrudis doctoribus, cum apud S. Theolo. peritos tale nihil inueniatur. Docti enim norunt in Ecclesia Christi unicam & solam esse oblationem Christi cruentam, qua deletum est peccatorum totius mundi chirographum: unicum esse sacrificium, quo Deus pater reconciliatus, nos in Christum credentes, & vitæ prioris pœnitentes in gratiam recipit. Secundarium propitiatorium nullum agnoscimus.

Tantū abest, Sadeli, ut hoc noīs, oblatio altaris mereatur, ut citra gravissimam cruenti in Cruce sacrificij iniuriam dici nequeat. Tam enim longè abest ab illa propitiationis in Cruce impetratæ ac peractæ dignitate, ac merito; quantum lumen Lunæ à splē-
dore

dore solis; aut si quid dicatur distincti-
us. Pergit absurda colligere Sadelius,
quæ Chrysippæis suis syllogismis pu-
tat demonstrare, in sacrificio Eccle-
siæ Catholicæ repeti sacrificium, si di-
catur propitiatorium.

Si in Missa fit vera, realis, & externa *Fallacia acci-*
oblatio corporis & sanguinis Christi: *dentis.*
ergo verè & reipsa Christus in Missa
occiditur.

Consequens est falsissimum.

Falsissimum igitur est antecedens,
& vi consequentis, sacrificium Missæ
reijciendum est.

Sed quis Beanorum tuorum, Sa-
deli scholastice, talem conficiat syllo-
gismum?

Iam ex D. Paulo est demōstratum,
mortē Christi fore in sacrificio Chri-
sti quotidiano necessariam, si non fu-
isset efficax & sufficiens, ad tollenda
totius mundi peccata. Tale autem po-
stulabat iustissima Dei Patris in nos
ira, quam suo sanguine nobis placa-
uit, quem illo in sacrificio effudit: quod
in abolitionem, immò expletionem
Mosaicorum sacrificiorum debuit il-

le æternus secundum ordinem Melchisedech sacerdos offerre. Nostrum autem in Altari non est similis generis: sed tantummodò illius in cruce peractæ representatiuum, & dominicæ mortis commemoratiuum. Quibus ex verbis solida nō minus, quam liquidam petatur responsio ad XX. scripturarum loca, quæ Sadelius acclamabat, vt Christum in Cruce fuisse mortuum demonstraret. Mori autem in Altaris sacrificio Christum non oportet, quia est alterius generis oblatio, siue potius oblationis semel in Cruce factæ rememoratio: quæ illa non postulat omnia, quæ in crucis patibulo præstari oportuit. Vnde liquet, quàm insulse Sadelius illud nobis obijciat, neque vt sæpè offerat semetipsum, &c. Alioqui oportuisset eum sæpè passum esse. Quod D. Paulus rectè colligit ex natura oblationis Do. Christi, quam in S. Cruce peractam oportuit, cum esset Antitypon figuratiuarum vet. legis oblationum sanguinis effusione immolatarum, necesse fuit vt & ipse Sacerdos æternus, & cui a
lius

lius succedet nullus, effuso suo sanguine impleret, quo vera & plena fieret peccatorum remissio, illis typicis sacrificijs prophetice à Spiritu S. praefigurata.

In Altaris autem sacrificio Vicarius Christi offert Deo Patri in illius tantum recordationem, non novam, aut aliam atque aliam, ut illi Aaronici offerens hostiam, quam fuit in ara Crucis pridem immolata; à qua omnis hæc suam, veluti de fonte, haurit vim, gratiam, efficaciam. Non magis igitur Altaris sacrificium quotidianum postulat Christi mortem, quam illud quod in coelis quotidie Dom. Christus sacerdos æternus nobis apud Deum Patrem peragit, ut superius ex D. Ambrosio, Chrysostomo, aliisque Orthodoxis Patribus est demonstratum.

Nonum Sadelius syllogismum ita *ix.*
sedulus compingit.

Si hæc est natura, inquit, veri & æterni sacrificij, ut victima immutetur: & CHRISTVS iam immutari

mutari non potest. Certè Christus nõ potest in Missa sacrificari. Verum est Antecedens.

Verum igitur & consequens. Et vi consequentis sacrificium Missæ commentitium est.

Arrogantiss. huius Sadelij doctus visum mouet magis propter iactantiam ingenij quam grauem dubitationem.

Hic te oportet lector candide, vnà mecum omnes ingenij neruos intendere, vt sophisma istud Sadelianum solidè confutemus: quo ita stolidè gloriatur, vt sese iactet Catholicè ius vi aut in Scyllam adigere, aut in Charibdim præcipitare. Adsit nobis Dominus Christus Ecclesiæ suæ indefessus defensor, ne istiusmodi Thrasonicis arrogantiaë insanissimæ vocibus terreantur, aut turbentur, aut à veritate Christi transferantur membra eius infirmiora.

Antecedens igitur syllogismi istius Chrysippæi falsum continet, non enim in omni sacrificio vero & externo fit victimæ, siue oblationis immutatio. Eleemosynæ, ieiunium, sepultura mortuorum, Samuelis oblatio, aliaque pietatis in Deum & proximos opera, vera sunt & externa sacrificia,
sicut

sicut D. August. libr. de Ciuit. Dei demonstrat. At excipiet Sadelius, se loqui de illis primi nominis sacrificijs, de quibus in lege olim mandatum fuit, quorum antitypus Do. Christus debebat simile immolare, sed nos iam sapius demonstrauimus non esse quotidianum nostrum similis generis sacrificium, cuius fuit aut illud in Cruce Domini, aut in templo Iudaico Aaronicum. Proinde nihil in altaris Christiani sacrificio victimam immolari oportet: cum non sit realis hostie mactatio, aut cruenta victimæ excarnificatio, aut sanguinolenta Domini Christi oblatio: sed mysticè tantum, atque repræsentatiuè vna illa, eodemque quodammodo immolatur hostia, dum per rememorationem Deo Patri in memoriam humiliter & suppliciter vice Christi per suos ministros, siue hypopresbyteros immolatur ac repræsentatur. Quò autem suam in imaginariam aut Scyllam, aut Charibdim Sadelius adigat Catholicos, nouam comminiscitur sibi calumniam: qua pios DEI sophistica strophapha

*Sycophanticè
Sadel. Catholicis falsum
affingit.*

pha exerceat cultores.

Ergo igitur Sadelius nos agnosce-
re nostro in sacrificio Altaris victimę
immutationem, quia ad suā, inquit,
confugientes transubstantiationem
aiunt panem mutari in corpus Chri-
sti.

O sycophanticam calumniam Sade-
li! non te pudet istiusmodi figmentis
sophisticis Catholicam improbè ve-
xare Christi Ecclesiam? Quis vnquam
Theologorum tam fuit imperitus,
qui assereret, in sacrificio altaris fieri
victimę immutationem: docent qui
dē fieri panis viniq; mutationē: sed in
cōsecratiōe, siue spiritus S. sanctificatio-
ne, quę diuina Spiritus S. inuocatio-

*Aliud in Mis-
sa est cōsecra-
tio panis, ali-
ud corporis
Dominici ob-
latio, & eius-
dem sacrifi-
cium.*

peratione mysticè atq; insensibiliter,
tamen verè, peragitur. Aliud porro
est, quod eam longo subsequitur in-
teruallo, sacrificium altaris, quo Chri-
sti Do. corpus Deo patri in illius cru-
entæ quondam hostiæ à Christo im-
molatæ, iuxta eius mandatum, recor-
dationem immolatur, siue offertur.
Panis quidem & vini substantia suo
loco

loco, ita postulante sacrificij Melchisedech typo, immolatur & offertur: sed ea diuinitus in corpus & sanguinem Domini conuersa, nihil amplius habet officij.

Nulla ergo panis, aut vini in sacrificio nostro Euangelico. quo corpus Domini offertur, fit immutatio: cum ea non sunt amplius; nec in corpore Domini Christi fit mutatio, qualem fieri victimæ, in omni externo sacrificio sibi fingit Sadelius. Verset se igitur, vt volet, omnem in formam Sadelius; omnes suas explicet strophas sophisticas; omnes admoueat syzophantici sui ingenioli machinulas, non efficiet, vt Catholica doctrina in iactatam suam incidat Scyllam, aut comminatam Charibdim; vnde non queat se vnquam sophisticis illaqueata pedicis facile extricare.

Ad decimum nunc descendam syllogismum Sadelianum, quem ita contra nos conatur constringere.

Si quotidie, inquit, CHRISTUS in Missa sacrificatur: ergo CHRISTVS quo-

X.
Fallacia accidentis.

quotidie satisfacit p̄ peccatis nostris.

Consequens est falsum.

Falsum igitur Antecedens. Et vi consequentis Missæ sacrificium reijciendum est.

Hypothetici sui syllogismi consequentiam Sadelius firmiter corroboraturus XX. ferè accumulatur SS. literarum loca: quibus demonstrare nititur, Christum in Cruce pro nobis satisfecisse.

At quis negat Sadeli? sed si sacrificatur quotidie Christus, inquit, quotidie satisfacit.

Hebr. 5.

O plumbeum pugionem, qui vel sudantem exerceat philosophū. Rata foret tua mi Sadeli frater captiūcula, si illa quotidie immolaretur cruenta specie; qua semel, iuxta diuinos veteris legis typos oblatus, omnia sustulit crimina, dum suum incomparabile nostræ redemptionis pretium Deo patri appendit: quo meruit omnibus sibi obedientibus, siue credentibus, & suis ad communionem pretij huius Sacramentis fideliter digneque ventibus plenam peccatorum, siue culpa.

culparum omnium remissionem, liberalemque condonationem.

Hoc pretium, & hanc Dom. Christi satisfactionem statuunt loca tanto cumulo nihil necessaria, ne dicam ociosè à Sadelio conglomerata: quæ satisfactioni quotidianorum, leuiumque peccatorum, restantium poenarum non repugnant.

*Verbosus Sophista suas in-
stat ampullas
in re non con-
trouersa.*

Relapso enim in statum damnationis aeternæ, Simoni Mago D. Petrus poenitentiam age, inquit, & ora Dominum. Proinde dolor animi, aspera corporis exercitatio, ieiunijque afflictatio, chameunia, cilicium, fletus, & lugubris plorationis amarulentæ cruciatus; aliquem habent satisfactionis locum: sed non nisi in credentibus, & in illam fontanam viuificæ Crucis Domini satisfactionem respectantibus, indeque ceu ex largissimo remissionis solidæ fonte, ac eodem perenniguttulam haurientibus. Hæc igitur ex fide in Christum reconciliatorem à credentibus exhibita effectum satisfactionis Dom. Christi in Cruce promeritæ, adeò non minuunt, nedum

S
abo.

abolent, vt magis illustrent atque red-
dant longè gloriosorem. Siquidem
omnis satisfactio, quæ in hominibus
reperiatur, nisi inde, suam impetrat
gratiam, & haurit indulgentiam, aut
quod Deo propter fidem Christi pla-
cet, aut quod aliquid cooperatur ad
illam in nos clementius deriuãdam.

Sic enim D. Paulus sese adimplere,
sese, inquam, adimplere docet, quæ de
sunt passionem Christi, non imperfe-
ctam ostendens Christi passionem:
sed ea etiam nobis, eius exemplo, &
communione societatis ferenda, &
patienda, quæ Deus aut iubet, aut
purgandi nostri causa pijs infingit: a-
deò vt & in homine Christiano aliqd
fit satisfactionis à Christi satisfactio-
ne absolutissima discretæ, sed quæ ci-
trà, extrãue Domini Christi & fidem
& meritum nihil est.

*Imperitè stru-
cti elenchus Sa-
deliani.*

Quod qui verum agnoscit, videt
Sadeliũ imperitè admodum sophi-
sticos suos construere Elenchus. In-
fert enim; posita satisfactione pecca-
torum, ponitur sacrificium Christi,
& è

& è contrariò, quod si ad eius mentē accipias, falsum est.

Non negamus quidem, vt diximus, omnem satisfaciendi vim esse hominibus ex Christi merito: sed ipse nullam vult esse in credentibus satisfactionē, nisi adhibeatur realiter mors Domini, siue cruentum in Cruce sacrificium. Ab hac enim separari eam non posse asserit.

Atqui scriptura peccatores ad satisfactionem hortatur, etiam ante Christi Dom. mortem, vt Daniel Nabachodonosorem, Dauidem Nathan.

Falsum affirmat Catholicus Sadelius.

Quod nobis falsum affinxerat, putà quotidie Christum esse sacrificandū, vt pro nobis satisfaciat, arguto aggreditur Dilemmate iste sophus oppugnare.

Christus in cruce pro nobis moriens, inqt, aut perfecte satisfecit Deo, aut imperfecte. Si perfecte, cur obsecro quotidie est sacrificandus, vt pro nobis satisfaciat.

Atqui bone vir, quisnam Christianorum istud affirmat? sed ne tibi rixadi materia desit, stupidum istud ac

*Arcadicū Dilemma sophi-
Sadelij: vno
ruit verbulo.* verè cornuto & arcadico dignū stru-
is dilemma, quod vno ruit verbulo,
Catholicos hoc non docere, tu quod
eis affingis improbè.

XI.

Vndecimò sic argumentatur Sade-
lius, si hodie sacrificandus esset Chri-
stus, id fieret, aut vt satisfaceret pro
pro peccatis nostris: aut vt eius satisf-
factio semel pro nobis in Cruce facta
nobis applicaretur.

*Ex sumptiōe
apertè falsa,
infert falsam
conclusionem*

Neutra ratione sacrificandus est.
Nulla igitur. Et vi consequentis, sacri-
ficiū Missæ reiiciendum est.

Secūdum maioris suæ membrum
ita conatur astruere. Alioqui necessa-
riò, inquit, sequeretur implicatio cō-
tradictionis. Nam satisfactionis appli-
catio infert satisfactionem prius fa-
ctam.

Superius ex D. Augustino est osten-
sum, Christi Dom. passionem siue sa-
tisfactionem esse instar Pharmaci me-
dici, omnibus omninò paratam, qua
nisi credentes, & Christi Sacramentis
vtentes sanantur.

Itaque in quotidiano Apostolicæ
Missæ sacrificio pœnitentibus & orā-
tibus

tibus conceditur precariò in gratiam Christi aliqua restantis pro peccatis remissis poenæ portio: quasi adhibito vulneribus foedis cicatricibus iam coalescentibus malagmate, aut potius quasi indulta pendendi atque persoluendi reatus, iusti que adhuc debiti parte, aut magna, aut tenui pro vario supplicantis, siue pietate religiosa offerentis affectu. Non enim hic, ut in S. Cruce sacrificium Dom. Christi est infinitum virtute, siue operatione: sed finitum, suisque modis pro vario supplicantium affectu, ac pia deuotione finitum, siue ad certam operationis deletoriæ, aut remissoriæ rationem moderatam.

Semper enim tam grata est Deo patri hæc mortis Christi in Liturgia Apostolica rememoratio, ut in eius gratiam misericordius cum viuis, adeoque in Christo defunctis (quod diuersis locis supra adductis, docet D. Augustinus) agatur, quam eorum peccata meruerant.

Non igitur, ut sophisticatur Sade-
lius, Hoc dictum implicat contradi-
ctio-

tionem, quia in cruce paratum est
omnibus animarum remedium mul-
tò efficacissimum, atque certum, suf-
ficientisq̄ue satisfactionis pharmacū:
quod nulli est vtile, nisi per fidem, &
Christi Sacramēta, eius fiat particeps,
sive nisi illi generali omnium homi-
num medicamento legitimè, atq; E-
uangelica ratione vtatur.

*Argutādi stu-
diose fallit,
& capit in-
cautè Sadeli-
us sophus.*

Proinde à vero alienum est, quod
argutus iste sophus argutando se ipse
fallens asserit. Isti volunt in ipsa appli-
catione, inquit, esse faciendam sa-
tisfactionem, scilicet à Christo. Hoc
enim non docemus: sed illa prius in
S. Crucis altari facta, esse singulis vten-
dum, si eius volunt esse consortes, &
eius participio ab omni peccatorum
reatu semel expiari. Repugnant qui-
dem idem esse factum, & faciendum:
sed nos dicimus, non esse faciendam
quotidiè à domino CHRISTO sa-
tisfactionem: sed ea pridem facta, si-
ue impetrata, nobisq; apud Deū iuste
promerita omnibus, siue per vsum, si-
ue per applicationem, siue aspersio-
nem, siue alio modo esse opus, eaq̄ue
necessariò vtendum; si tamen eius de-

sideramus frui beneficio.

Urget vltterius absurdum aliud Sa-
 delius. Si iterū sacrificari debet Chri- *Rixando a-*
 stus, vt eius sacrificium semel factū ap- *mittit verita-*
 plicetur, ergo iterum incarnari, iterū *tem sophista.*
 mori, iterum resurgere. Vide obse-
 cro, Lector candide, vt homo iste ar-
 gutus argutando veritatem amittat?
 à commemoratiuo sacrificio, siue q̄
 citra sanguinolentam speciem doce-
 mus Christiani, Deo in memoriā cru-
 cifixi pro nobis do. Christi offerendū:
 arte sophistica imperitissimè colligit
 cruentum illud in cruce iterum pera-
 gendum. Hoc tamen indocto & rudi
 sophismate ita exultat miser, atque
 Thraſonicè planè gloriatur, non pos-
 se rationem dissimilitudinis à Ponti-
 ficijs adferri.

O cautū sophū? nullum dictorū o-
 mniū oportet Sadelī à Christo corpo-
 raliter, aut deītegro, siue noua corpo-
 ris actiōe iterari: sed sicut S. passiōis fit
 in Euāgelica Liturgia, siue Apost. Mis-
 sa rememoratio: ita & incarnatiōis, &
 natiuitatis, & resurrectionis. Horum
 enim oīm in ipso sacrificij actu no-

minatim fit mentio, grataque commemoratio, qua illum diuinum ostendimus fontem, vnde nostris supplicationibus cupimus aliquem haustum indulgentiæ maioris, aut condonationis clementioris. Pergit sophismata sophismatibus copulare Sadelius: Sed quam efficaciter & scholasticè, vt ipse plusquam thraſonicè quidem iactitat, ne dicam ridiculè, imò planè sophisticè, iudicet æquus Lector. Si Missa est applicatio sacrificij Christi, non est igitur ipsum sacrificium, quia donū aliud est à donatiōe. Ita & nos dicimus Sadeli frater, in Missa fieri donationem, doni olim omnibus parati: sed nunc pijs Dei filijs per Christi sacramenta distribui, sine nouo illo cruento sacrificio. Itaque sicut aureus, aliud est à donatione, ita & hæc doni inæstimabilis, alia est à suo dono pia nobis applicatio: quæ sacrificij cōmemoratiui medio, quasi certo abundantissimi fontis in S. Cruce aperti tubo, pijs pœnitentibus indulgetur.

In Baptismo non est opus fieri sacrificium, in quo tamen mors Christi

no.

nobis applicatur. Nihil est igitur cau-
sæ, quamobrem necesse sit in cœna
Do. fieri sacrificium, vt mortis Chri-
sti beneficium nobis applicetur.

Varij sunt, Sadelī, expiationum in
Christi Ecclesia modi, per Baptismū,
per Pœnitentiam, per animi luctum,
per Eleemosynas, per Chamennias,
per Liturgias, siue Missas Euangeli-
cas: qui solo ex Do. Christi sanguine
pro nobis in Cruce fuso suam capiūt
vim, salutaremque hauriunt, & no-
bis impetrant effectum apud Deum
patrē. Sicuti ergo baptisamur in mor-
tem Christi, vt eius meriti participes
simus: ita in mortem Christi Deo pa-
tri offerimus corpus dominicum gra-
to animo ipsi; commemorando mor-
tem Christi, vtriusque autem effectus
eodem ex fonte, putà diuino Christi
sanguine nobis salutariter tantum
promanat, ita vt citra eius efficaciam
& gratis communicatum, influxum,
nostra profint nihil. Verùm aureus il-
le, imò diuinus, ac verè salutis æternę
operatorius effectus non contingit
cuiquam, nisi aut Sacramentū Chri-

sti adhibeat, aut Sacrificium illud S. crucis commemorando, animo repetat grato.

*Nugamentū
sophisticum.*

Porro nugando huc dilabitur Sadelius, ut asserat nusquam in Scriptura exstare, Christum esse sacrificandū, ut eius sacrificium nobis applicetur. Atqui Catholicis satis est, Sadelii, exstare in Dei verbo: quod geminum esse, dudum satis est ex D. Paulo demonstratum, qui docet non solum externa prædicatione, aut interna Spiritus S. efficacitate nobis meritum Christi applicari: sed Baptismo, Pœnitentia, religiosa in Cruce sacrificij commemoratione, alijsque pijs operibus. Quibus ex verbis solutio prompta est ad loca non intellecta à Sadelio variè cumulata.

Prædicatione

Euangelij Sadelio est sacrificium, sed non Missa siue Liturgia, & oblatio Evangelica.

Defatigatus tandem nugatoriè Sadelius, adeoque sophisticè argutando fatetur & Euangelij prædicationē esse quoddam sacrificij spiritualis, & figuratè dicti genus: à quo tamen Missæ sacrificium omninò vult excludi: sed quam ficulneis id agat tibicibus, vel semidocto liqueat lectori.

Si

Si prædicatio Euangelij, nomen meretur sacrificij: ecquæ nam inuidia est, mi frater Sadelio, attende obsecro, nisi Sathanica, & vero Antichristi præcursore digna, non eam appellacionem illi Euangelicæ actioni compartiri, quam & Dominus Christus in sui memoriam instituit, & Diuus Paulus, esse mortis Domini adnunciationem, disertis verbis demonstrauit.

Suis iugulatur verbis rixosus, & odio veritatis rabidus sophista.

Si adnunciamus Domini mortem omnibus, qui ad Liturgiam siue Missam Apostolicam conueniunt, An non est prædicatio Euangelij? immò ipsa Euangelij, & Apostolorum, & Prophetarum in ea lectio; est Euangelij prædicatio: præcipuè quando diebus Dominicis & festis non solum Clero illa recitantur, sed & populo vernaculè exponuntur.

Quod & in Missa est vera dominica mortis adnunciatio siue prædicatio. Cur ergo non dicatur Sadelio verum Sacrificium, licet spiriualemente, sicuti prædicatio & concio.

Hæc etiam Catholicæ, atq; eiusdem Apostolicæ Christi Ecclesiæ rememoratio, siue recordatio Christi Domini cum sit bonum, adeoq; pium in primis opus Deo patri longè omnium gratissimum, ecquæ quæso Sacrificij

ficij

*Muliebria e-
nōmī in Ca-
tholicos Sade-
lius conuitia*

ficij nomen ei non cōgruat? cum hoc
D. Augustinus omnibus semel bonis
ascribat operibus, imò Sadelius ipse
suam Euangelij (si Christo placet) præ-
dicationem vocat sacrificium. Nunc
suis destitutus telis Sadelius, mulieri-
bus nos aggreditur armis, hoc est, fœ-
dis conuitijs, immò blasphemijs acri-
bus oppugnare: Rogat quid commu-
ne esse potest Euangelio clarè adnun-
ciato cum Missis theatralibus, ac mu-
tis signis, eiusque perobscuris susur-
rationibus: Quæ tu vocas muta signa
infaelix Sadeli; tua facis infideli,
adeoque Turcica infidelitate dignū.
At muta non esse norunt, qui Dei ver-
bum reuerenter colēdo mysteria no-
runt: quæ Apostolico geruntur silen-
tio, hic tibi non exponenda.

*Crucis domi-
nicæ signa-
tionem Sade-
lius cum Tu-
cais & Tur-
cis impiè ri-
det.*

Signa autem qualia tu rideas, Tur-
ca & Iudæus tecum facilè agnoscent:
quorum tua est atrocior, diriorisque
damnationis impietas, & Apostasia:
qui Christi nomine gaudens & triū-
phans venerabile Crucis eius signum
execraris impius. Eadem & theatra-
lia irrides. Cur signata, obsecro, Christi
Dom.

Dom. Crux in altari magis tibi est, Sa-
deli, Theatralis, quàm si in baptismo
adhibeatur? vti constanter faciunt Ca-
tholici vbiq; omnes, & eorum sar-
mentum Lutherani: qui omnes Tur-
cicam vestram dolentes execrantur
impietatem.

Quod per obscuras susurrations
hostiliter commemoras, tua facis ca-
lumniandi arte dignum: qui nosti ex
D. Basilio & alijs PP. mysticum illud
in diuino Christianorum cultu silen-
tium, quanta sit reuerentia obseruan-
dum, de quo aliàs fusiùs, quando lice-
bit, indulto diuinitùs foeliciores ocio,
absoluerè: quod de Apostolicis Chri-
stianæ Missæ ritibus subinde meditari
aggrediebamur.

Porrò Euangelij prædicationi re-
pugnare vult Sadelius Missæ sacrifici-
um: quia in illo Christus non Deo, in-
quit, sed nobis offertur. Imò in Chri-
sti Altari, & nobis ad vitam spiritua-
liter offertur fouendam, atque saluta-
riter in eius amore nutriendam: &
Deo patri ad gloriam. Siquidem cor-
pus dominicum pijs Domini Christi
mem-

*o crassum so-
phisma crasso
crapulatore
dignum.*

membris est & sacramentum, & sacrificium: cuius vtriusque partes singulari suæ præstantiæ prærogatiua eximie implet.

*Nugamentū
futiliss. rixas
oris inepti-
entis.*

Obgannit Sadelius vltterius; expendant quid sibi velit vocabulum applicari, inquit, & facile intelligent Christi sacrificium nobis applicari, dum Christus offertur non Deo, sed nobis. O acutum Grammaticum? An non verè homini applicatur Dom. Christi meritum, quando nos Deus Pater eius facit verè participes propter gratissimam istius hostiæ semel oblata rememorationem? siue hîc dixeris applicari, siue adhiberi, siue in vsum donari, ecquid referat, quælo, apud eos, Sadelii, qui vocularum inanes, & garulas non quærunt rixas.

XII.
*Fallax elen-
chus ex conse-
quente.*

Duodenarium suum syllogismū ex loco ab Authoritate. iterū negatiuè instituit, Scriptura non commemorat intermedium sacrificium inter illud in cruce factum, & extremum eius aduentum. Ergo Missa humanum est commentum. Hypothesici sui cōnexi consequentiam, ait homo impudens,

An alia de causa, notum est eius auctori Spiritui sancto. Vbi enim vel vnum lota de colenda Christianis dominica? quod & vos Sacramentarij populo tunicato mandare audetis ex verbo Dei colendam? Vbi verbum vnum de perpetua B. Mariæ virginitate? quam vester dicam Papa, an bis Papavenerabilis ille Beza, sua in fidei confessione, ceu indubitatum Christianismi articulum nō dubitavit in colloquio Possiaco profiteri, scriptoq; omnibus exhibere?

Hoc tamen quotidiani Sacrificij Christiani caput non omisit Scriptura: quæ & apud Prophetas futurum prædixit, vt Malach. 2. offertur nomini meo, &c. Et in Euangelio Christus iubet nos facere in sui memoriam, quod ipse in cœna fecerat. Eum autē obtulisse panem & vinum, & post consecrationem suum corpus, dudum ex D. Cypriano, Eusebio Cæleriensi, alijsque est demonstratum. At rem tanti momenti, obijcit Sadelius, si quidem vera esset, procul dubio clarissimis verbis scriptis Apostoli nobis testatum

statum reliquissent. Cur non & rem
maximi omnium momenti de mutā
do in Dominicam Sabbatho? aliaque
fidei dogmata, à vobismet ipsis obser
uata superiùs commemorata, Sadelii,
non clarissimis verbis contestata no
bis reliquere? Deinde an non satis cō
testatum ipse a re nobis reliquere, cum
doceat D. Lucas Apostolos & ieiunasse,
& Liturgiam suæ Euangelii
cum peregrisse sacrificium.

Vno hæc omnia verbo Apostoli,
teu deposita suæ fidei contestata reli
quere, quando in Paulo præcipiunt: *Traditio.*

Tenete traditiones quas accepistis, si
ue per Epistolam, siue per verbum. *Verbum scri
ptum.*

Rursus: O Timothee, depositum cu
stodi, sciens à quo didiceris, aliaque
Depositum.

sexcenta: quæ verum scire desideran
tibus, nostra suggeret Panoplia suis
appendicibus instructa. Rogat Sade
lius. An interpellationem Christi a
pud Patrem dicemus sacrificium: cū

illa sit huius effectum? Certè D. Am
brofium & Chrysoft. imitati, non ne
*Ambr. 1 off.
Chrysoft. in 5
cap. ad Heb.*

gabimus quodam etiam sensu sacri
fium appellare.

T

Affi.

Affidua Do. Christi pro nobis interpellatio consequitur quidem sacrificium in cruce peractum; sed proprius eius effectus non magis est, quam oratio illa pernox, sæpius à Domino nobis in exemplum habita. Habent quidem suam vim ex Sacrificio crucis, quia Domini Christi opera omnia mortem eius, ceu scopum spectabant, ex qua perficerentur omnia: sed potius sunt quædam fructuum S. crucis exequutio, & quasi salutaris medicamenti vulneribus nostris modo vario applicatio: Sicut & nostrum quotidianum in memoriam mortis Dominicæ sacrificium, cum religiose offertur, siue Deo Patri cum laude atque gratiarum actione repræsentatur, quandam habet sacrificij Deo omnium gratissimi speciem.

Alia negativa Sadelij argumenta non evertunt Apostolicam Ecclesiam. Liturgiã

Quæ igitur prolixè accumulata Sadelij loca 8. aut 10. nihil doctrinæ pugnant Catholicæ: quæ istis negativis nihil offensa Enthymematibus, gratissimo animo agnoscit illam salutarem sanguinis Christi Domini aspersionem.

spersionem: qua vna freta & Baptis-
 mum, & Pœnitentiam, & recordati-
 um Apostolicæ Liturgiæ sacrificiū,
 aliæque omnia, quæ suam salutariter
 aut iuuant, aut ratione quacunq; san-
 ctificant, gratulatur ex illo vitæ veræ,
 adeoq; æternæ fonte dira Dom. Chri-
 sti Iesu morte, copiosissimè citra suū
 meritum promanare.

Neque impium tuum Sadeli pro
 phano furio refusum metuit Eccle-
 sia Sarcasum. Si assiduè pro suis in-
 terpellat Christus, & interpellare est
 sacrificare, sequeretur Christum assi-
 duè sacrificare, adeò vt matutinum
 tempus Missis celebrandis non suffi-
 ceret. Aliud tempus Sadeli, Ecclesia
 sticis debetur mysterijs congruè per-
 agendis: aliud est quod æterno nostro
 Archiepiscopo in cœlis agenti deco-
 rum est, vbi non matutinum, non ve-
 spertinum, non diurnum, non no-
 cturnum tempus est, vt inde non fu-
 erit tam acerbum scomma in electā
 Christi sponsam, adeò petulanter at-
 que procaciter iaciendum.

*Sarcasmus
 Sadelij impij
 in assiduum
 Do. Christi in
 cœlo sacrifi-
 cium.*

*O Turcicum
 scomma Euā-
 gelico Sadelio
 indignū. An
 non istud
 ipsum in ipso-
 rum retorque-
 atur precati-
 ones.*

XIII.

Syllogismo
pseudographo
ex principio
perperam in-
tellecto, in-
fert falsam
conclusionē.

Suum XIII. Enthymema Sadelius
ita conflat. Si in Missa Christus, in-
quit, Deo offertur à Pontificijs sacer-
dotibus : ergo Christus non est solus
sacerdos noui Testamenti.

Consequens est falsum.

Est igitur falsum Antecedens, & vi
consequentis sacrificium Missæ reiici-
endum est.

Ridiculum hoc sophisma hunc in
modum plusquàm pueriliter non di-
spuduit grandem istum sophum : qui
se se iactat scholasticum constabilire,
connexi hypothetici consequentia,
inquit, manifestè patet. Solus enim sa-
cerdos, & plures sacerdotes dicuntur
ἀντιφατικῶς. Ita libuit suam græcæ lite-
raturæ scientiam prædicare : quò im-
peritioribus illuderet facilius, si my-
sterium magni argumenti in voce si-
bi non cognita putarent latitare.

Vult illa contradictoriè pugnare,
vt loquantur philosophi, Atqui nus-
quam legitur Dom. Christus solus sa-
cerdos, etsi Apostolus Do. Christum
opponat pluribus Aaronicis sacerdo-
tibus. Non tamen cum eius sacerdo-
tio,

tio, quod solus habet, pugnat; si eius vice plures Hypopresbyteri in gratissimam crucifixi domini memoriam offerant.

Pugnarent autem vnus Christus, & sacerdotes plures Noui Testamenti, si aliam atque aliam hic & illi more Leuiticorum sacerdotum offerrēt. At iam non est contradictio inter Christum sacerdotem, & plures Noui Testamēti sacerdotes. Primò, quia non aliam à Christo hostiam offerūt. Secundò, quia non eodem modo & ratione offerunt: licet idem offerant, quod Dom. Christus in ara Crucis. Tertiò, non æquè vniuersaliter, neq; efficaciter immolant Hypopresbyteri Noui Testamenti, sicut Archiepiscopus noster Dom. Christus, suum peregit actum Pontificalem, siue iuxta ritum Melchisedech sacerdotalē. Contradictio autem Paulina in eo est obseruanda, quod in templo Aaronico diuersæ immolabātur hostiæ, quarum nulla ita fuit efficax, vt sequentes primam quasi suum spectarent fontem, vnde suam impetrandę peccatorum

rum remissionis haurirent vim.

Itaque & diuersi, pluresque erant
Leuitici Sacerdotes, singuli suam Deo
imolantes hostiam: quos oportebat esse
se plures, quod morte prohiberentur
æternum administrare sacerdotium.
Sed noster Archiepiscopus Dominus
Christus, vnica sui corporis hostia
consummauit Sanctos, factus Sacerdos
in æternum: cui nullus succedet
alterius generis Sacerdos, sed suum
suos ipse per Hypopresbyteros
administrat sacerdotium, secundum
ordinem Melchisedech à patre institutum:
Hi autem iuxta Melchisedech ordinem
offerunt Deo panem & vinum, qua parte
sunt Aaronico similes, quia nouam
quotidie in gratiarum actionem offerunt
laudis hostiam, sed primariè sui officij
partes obeunt, quando vt noui testamèti
sacerdotes vice Christi, ait D. Cyprianus,
& offerunt: quod Archiepiscopus noster
Dominus Christus in cœna obtulit, & nobis
offerendum præcepit.

*Falsum affin-
git Catholicis
Sadelius.*

Proinde friuola est, ne dicam
Cauiillatoria Sadelij distinctio: quam si
bi fin.

bi fingit in sacerdotem Christum pri-
 marium, & alios secundarios. Sophi-
 stica hæc distinctio Patribus nostris
 Orthodoxis est ignota, matrique no-
 stræ Eccles. Cath. iaudita & planè pere-
 grina. Absit vt noui testa. Sacerdotes
 dicantur secundarij, quod gradum
 quendam dignitatis, atque honorati
 ordinis significaret. Nobis autem v-
 nus est Archiepiscopus Christus Do-
 mini Dei filius, qui solus habet nulli
 communicabilem ac verè augustam
 sui Archiepiscopatus, siue sacerdotij
 æterni dignitatem, quæ parte tantum
 vna, qua videlicet, quod ipse sacro-
 sancta sui perfecit sanguinis effusio-
 ne, duntaxat rememorando, ac Deo
 Patri representando imitantur, ac
 in eius effusionis tantum recorda-
 tionem immolant. An Solis claritas
 plus stellarum lucem excedat, quam
 Christi Domini æterni sacerdotis Sa-
 crificium quotidianum vincit, & di-
 gnitate, & præstantia, & repetendi si-
 ue iterandi nescienti Ecclesie Catholi-
 cæ victimam? Non victimam à victima

*Incomparabi-
 lier excellit
 sacrificium
 Christi in cro-
 ce nostrum quo-
 tidianum in
 altari.*

discerno, cum utrorumque vna sit & eadem, adeoque ipsissima: sed immolandi modum & rationem considero, qua Dom. Christus in cruce immaculatum Deo sese obtulit per Spiritum Sanctum. Ea enim ratio iterari nec potest, nec debet. Alioqui sequerentur & incommoda, & absurda, & noui testamenti abolitio: que nullus non videt. Longissima est igitur distinctio noui testam. Sacerdotum, à Christo Dom. Archiepiscopo nostro: qua efficitur, ut nullo modo pugnent multi noui testam. sacerdotes cum vno illo æterno Christo sacerdote, cuius dūtaxat vicem pro eius populo apud Deum Patrem gerunt. Alia fuit ratio Aaronicorum, qui non omnes eandem immolabant hostiam, nec peccata hominum auferebant, sed nostri sacerdotes secundum ordinem Melchisedech vice Christi Dom. eandem Deo patri offerunt, sed in illius victimæ cruentæ recordationem pro peccatorum reliquijs, pœnitique restantibus, ut misericordias nobiscum agat Deus Pater, quā nostra meruere peccata.

cata. Ex illa namque ceu inexhausto fonte fluit omne quod nobis per Ecclesiasticam Christiani sacrificij pollicemur oblationem: quod in Aaronicis non licet reperire: quæ per se ipsæ singulæ valebant, quod valebant nullo ad aliquam, veluti fontanam hostiam habito respectu, aut salutaris recursu. Hinc liquet, nullius esse momenti illam Sadelij objectionem: Dices Apostolum, inquit, excludere legales sacerdotes. Certè: sed adhibet eam rationem, quæ non minus quadrat in Pontificios sacrificulos, quam in sacerdotes veteris Testamenti: His enim Christum opponit, nēpè mortalibus immortalem, quod profectò æquè de Pontificijs sacrificulis dici potest.

Atqui longè alia est ratio, Sadelij, cur D. Paulus Christum sacerdotibus Mosaicis opponit, nimirū quod illi quotidie suam renouabant hostiam, & tam sanguinolentam, & cruentam. Hac enim in re potissimum est vtrorumq; discrimen, quod in Christianis sacerdotibus locum nō habet:

T s qui

qui non aliam ab illa singulari, & omnium absolutissima Christi victima, ut olim Iudaici, sed eandem prorsus, immò ipsissimam Deo patri offerunt, quam olim Dominus in ara S. crucis Christus Iesus. Neque ea parte discrimen inter Christum & Aaronicos sacerdotes quadrat in Christianos, quod ille immortalis: hi mortales, quia hoc Domino Christo contigit post oblatam semel corporis sui hostiam, unde manet Pontifex in æternum, quòd eius sacerdotio non succedet aliud, sicuti mortalibus Aaronicis Dominus Christus. Nihil autem pugnat immortalitas sacerdotis Christi, cum sacerdotum novi Testamenti mortalitate, quia tantum vice Christi offerunt, quod ipse Archiepiscopus Novi Testam. obtulit, ita plene atq; perfecte, ut nullum oporteat succedere alium sacerdotem, qui alia victima, aut vllò alio sacrificio humani generis expiet delicta, aut immania tollat peccata. Ex his liquidò patet, quam frustra ad fucatas, immò spinosas suæ scholæ Philosophicæ accurrat
stro.

strophas, vt pares faciat Sacerdotes Christianos illis Leuiticis.

1. Porro plures sibi fabricat rationes Sadelius, cur non sit opus noui testamenti. Sacerdotibus non magis, quam illis Leuiticis, quod vtrisque veritas (cuius per Christum aperta est via) adumbratur.

Falsum affingit Sadelius Catholicis, in odium sacerdotum, quos vult semel omnes sublato.

2. Immò apud nos veritas non typis & futurorum umbris adumbratur, Sadeli, vt olim à Leuiticis: sed ipsa re Domino Patri repræsentatur illa omnium gratissima hostia, qua olim placatus, nouis postulatur criminibus indulgere, atque liberalem gratiam illius intuitu supplicantibus donare.

3. Iterum Sadelius figmentum suum de primario Sacerdote Christo, & secundarijs noui Testamenti sacerdotibus syllogismo flagellat: sed frustra se torquet stomachosus iste Philosophus, qui vanum sui capitis stolidè oppugnat figmentum à Catholicis exhibitum.

Sophis

4. **Sophisma quartum, contra Noui testamenti sacerdotes ita conflare conatur Sadelius.** Si sacerdotes Pontificij sunt tantum ministri sacrificij, quod fit in Missa. Christus autem est primarius ac verus sacerdos, qui sacrificium illud facit, ut dicunt, cum sacerdotes pontificij offerant tam pro se, quam pro populo sequeretur Christum (absit dicto blasphemia) etiam pro se offerre.

O vanissimum nugatorem? ô garululum argutululum, stolidumque sophum! qui sophistica tua, qua gloriatur subtilitate, atrum conatur in candidum conuertere, sed sophismatis sui causam attexit philosophicam. Ministerium & instrumentum, inquit, ad causam pertinere efficientem fortassis ipsi non ignorant. Istud quidem non ignoramus Sadeli, sed quid oportet, obsecro, propterea ut Christus se ipsum pro seipso offerat, etsi per suos Hypopresbyteros suum offerat, corpus & sanguinem: Hoc enim faciunt pro se, atque Dei populo. Quorsum enim pro Christo Sadeli? an eum nos putare existimas aliqua nunc habere
opus

opus expiatione? sicuti vestratium
 quidam Euangelicorū inaudita Chri-
 stianis auribus blasphemia audēt sec-
 leratissimè effutire, quod in Cruce de-
 sperarit; quod in hortulo minus forti-
 ter aut constanter in illa horrida sui-
 cordis agonia constitutus egerit, quā-
 do sacrosanctus eius sanguis per vesti-
 menta eius lanca guttatim defluebat,
 stillatim decurrebat, grumatim, im-
 mō globulatim in terram vsque pro-
 rumpebat, aliaque abominanda Tur-
 cicis vestris faucibus in Christum cō-
 tumeliosis digna. Ita noster Sadelius
 cum suis noui Euangelij socijs, in sua
 evanescent sapientia, dicentes enim
 se sapientes esse, stulti suis cum philo-
 sophis, quos suæ perfidiæ habent ma-
 gistros, facti sunt. Sapientia enim mū-
 di deo est inimica, multò magis Chri-
 sto Domino. Fidei enim, atque Euan-
 gelicæ doctrinæ illius non subiecta,
 contra eam noua sibi ex prima Philo-
 sophia, Euclide, Aristotele, alijsq; hu-
 mana scientia inflatis sophis corradit
 sophismata, vt ipsum oppugnet. Hi e-
 tiam nostra ex fide, quod nobiscum
 cre-

*Ita D. Aug.
 com in Psal.*

credere nolunt, exagitant, vt suis cū Patriarchis illis veterum (quas renouant plurimas, hæreseon) hæresiar- chis ex fide fidem oppugnent, si vo- let Christus. Occlamat nobis Sadelius, nos bellum verbis D. Pauli indice- re, quod non est necesse quotidie pro peccatis proprijs, deinde populi offer- ri. Non enim docemus esse opus ad illum modum quotidie offerre pro Christo, aut delictis proprijs, sicuti olim fuit necesse Aaronicis, nimi- rum cruēta victimarum specie: quod illi Iudaizantes semichristiani opina- bantur: quorum error in D. Paulus Epistola ad Hæbræos putauit casti- gandum, atque Euangelica luce illu- strandum, vt totum sibi reciperent, abiecto semel Mosaico ritu Christi- Iesum Nazarenum.

*Blasphemiā
Sycophantice
affingit Ca-
tholicis Sade-
lius,*

5. Quinto loco pro argumento in- gerit conuitia plurima, ludens de Se- cundarijs Noui Testamenti sacerdo- tibus, quos sibi ad calumniam Catho- licis struendam stolidè cōfinxit, quos falsò dicit pro secundariorum voca- bulo vehementer laborare. Addit im- pudens

puđēs sacrilegus Catholicos sacerdo-
tes secundarios Christum in crucem
agere, quantum in ipsis, idque pretio
numerato.

Ad has blasphemias quid tibi Sade-
li aliud nos Christiāi Catholici possu-
mus, quam illud Do. Christi nostri:
gaudete cum maledixerint vobis pro-
pter iustitiam? & orate pro calumniā-
tibus & persecuentibus vos? qđ faci-
mus & pro exccētatis fraude diaboli-
ca ad vnum omnibus fratribus: Pater
ignosce illis, nesciunt quid faciunt.

Ad XIII. post acerba delapsus con-
uitia, hūc in modum nos oppugnat. XIII.
Si ea est ratio sacerdotij Christi, vt sit
idem Sacerdos, qui victima: & Chri-
stus solus est victima illa, semel pro
nobis oblata, certē solus Christus est
Sacerdos.

Antecedens est verum.
Verum igitur est consequens: Et vi
consequentis sacrificium Missę reijci-
endum est.

Sui oblitus Sadelius huc reuocat,
quod superius syllogismo suo pro-
lixis verbis egerat, quò nos pium,
veriq;

veriq; studiosum Lectorem remittimus, vt inde recoctas eius nugas responsum petat.

*Sadelius ad
philosophicas
confugit stro-
phas, et cæca
Spineta.*

Quia tamen suum Hypotheticum connexū confirmare conatur ex primæ philosophiæ fontibus, vndè primaria, eiusdem, inquit, & diuersi cognitio est petenda, paucis ei Christianè respondemus.

Nos ita Dom. Christum dicimus solum, Sadeli, noui Testamenti sacerdotē, vt more Mosaicorū alius alteri nō succedat: sed vno Christo æternū viuentē, ac perenni pontifice permanente hypopresbyteri eius in quotidiano DEI cultu eius vice offerant, quod iussit. Sicuti ex D. Cypriani epistola contra Aquarios, Chrysoft. Augustino, alijsq; dudum est solis luce clarius demonstratum.

*XV.
Syllogis pseu-
dographus,
vt prior.*

Pergit Sadelius idem agere xv. suo syllogismo. Si quis noui Testamenti sacerdos est, idem quoque mediator est noui Testamenti, & solus Christus est noui Testamenti mediator. Certè Christus solus est Noui Testamenti sacerdos.

Ve.

Verum est Antecedens.

Verum igitur est consequens : Et vi consequentis Missę sacrificium reiiciendum est.

Totum hoc sophisma cum ex varia Christiani sacerdotis definitione pendeat, nihil adferat momenti ad abolendos (quod Sathan ille invidus, sua per infoelicia mancipia Bezam, Sadelium, aliosque istius farinae Capharnaiticos mysteriorum Christi derisores molitur) novi Testamenti sacerdotes, cum iam subinde ostendimus, alterius rationis esse sacerdotes, quam Do. Christus, licet idem prorsus, ipsissimumque omnes offerunt, pro Christi Domini instituto, per Apostolos toti orbi concorditer tradito.

Sicut autem sunt citra Christi Do. *Mediatores* iniuriam quodam sensu sacerdotes : *an plures.* ita & mediatores quidam citra Do. Christi contumeliam vocantur quę admodum apud vet. PP. orthodoxos videre est, vt D. Nazianzenus suum Basilium appellat Mediatorem, D. Ambrosius se agnoscat humillime in-

V ter

ter Deum & homines medium esse à Deo institutum, alijque non pauci, quæ pacificis Dei filiis nullam mouët rixandi ansam: sed pia piorum PP. dicta, pio etiam moderamine, aut equiore, vel accuratiore interpretatione leniunt.

XVI.

Alium nunc nobis cudit arietem, infoelix faber, sed infoelicior Christomachus Sadelius, quo euincere conatur, Christum à Catholicis sacerdotibus non posse offerri, vel sacrificari, quiarepugnant, Christū nobis offerri à Deo, & Christū à nobis offerri Deo.

Error ignoratiōis Elenchi.

O hebetē pugionem Arca dico philosopho dignissimum.

An mi Sadeli oblationi Christi, qua se immaculatum obtulit Deo repugnat, quod diua ei⁹ mater virgo B. Maria ipsum Deo Patri in templo Ierosolymis obtulit?

At tu vrges naturam Sacramenti, vt eo nobis Christus offeratur vera fide, & sūma reuerentia ꝑcipiendus. Certè blādis istis verbis vos callidi hoīm incautorū derisores toti mundo illuditis, dum non plus vestræ coenæ Sacramento; imò verissimo sacrilegio ꝑcipitur, quàm ex lecto, vel prædicato

Euan.

Euangelio: hoc est nihil corporis, nihil sanguinis Dominici: sed imaginaria vestrae aliquid energiae, spiritualisque, imò ficticiae operationis. Nec mirum est Sadelii, te offerendo in S. Eucharistia Christo resistere: cum eum terra mariq; conaris excludere. Nā si fieri queat, quidam vestratium etiam caelo, certè non obscuri quidam ipso caelesti throno: cum iam in Germania clamitare audent ore bis, ter blasphemò (claudite aures Catholici, ne vos prophana, imò verè Turcica Calvinistarum vox vos cõtaminet) *Sie willen Christum zu hoch setzen.* Christum volūt nimis sublimem collocare? O Dei patientiam ineffabilè? quæ ora tam blasphemata, non illa inaudita Nestorij pœna pro merito plectit, aut Olympij apostatae fulminato telo nõ percellit.

Vt defungatur probandi labore Sadelius, totū sui argumenti robur, qđ nos negādo euertimus, leui statuit ratiuncula. Institutū esse sacramentum cœnæ, inquit, vt Christus nobis offeratur verè percipiendus: qđ in dubiū reuocari non solet.

V 2

Sadelius suis cum Caluinistis caelo, terraq; Christū exturbare conantur Cyclo plica planè audacia.

Inter vos delicatulos vanæ atq; inan-
 is prorsus cœnæ conuiuas opinor
 in dubiū nō reuocari: vbi sacrilega cō-
 iuratiō fremēs aduersus D & Chri-
 stum eius rabido Iudaicæ perfidiæ fu-
 rore cōuenitis. Atqui Catholica Chri-
 sti Ecclesia DD. Apostolorum disci-
 pula lōgè aliter iam à sui exordio de
 hac docet toto orbe concorditer in-
 stitutione: quæ alibi est tractanda Hic
 nobis est satis, hoc sacrificium esse à
 Do. Christo institutum, vt toto orbe
 Deo patri offeratur.

*Turci at Sa-
 delius Sacra-
 mentarius.* Negat S. Eucharistiam Sadelius, &
 Sacramentum esse, & sacrificium. Au-
 di quæso Lector Christiane rationem
 spiritus Turcico dignam.

Quomodo autem Christum offeri-
 mus inquit, si Christū non habemus?
 Eia mi Sadelii! lepida in primis ista est
 conlusio: quæ apud Capharnaiticos
 omnem superat demonstrationem
 Euclidianam.

Sine nos obsecro, fide frui Christia-
 na: quibus iuxta verbum Domini &
 sacramentum est, quia dat vitam mū-
 do, & sacrificium est, quia iuxta eius
 man-

mandatum facimus, quod ipse prior fecit, ut superius diximus latius.

Quò Catholica Christi Iesu Ecclesia iuum iuge Sadelius extorqueret sacrificium, multis conatur rationibus ostendere Dom. Christum seipsum in coena non obtulisse. Sic enim nec in Liturgia Apostolica rectè offerri posse.

XVII.
Idem sophisma cum precedenti.

Si in coena, inquit, nobis Christus offertur sacrificatus, ergo nõ à nobis in coena est sacrificandus.

Quanto igitur minus in Missa? Ecquid mirum si à vobis, Sadelii, Christus in coena non est sacrificandus: cum ipsum vestra in Apostolica & verè adulterina, immò Antichristiana coena, nec agnoscatis, nec habeatis presentem? Atqui nos, cum iuxta Domini Christi promissionem viuifico eius fruamur corpore & sanguine, quod Dei dono accepimus in gratiarum actionem, ne simus ingrati, ait D. Martyr Irenæus, religioso cultu & pia deuotione offerimus; non inani aut imaginaria immolatione, sed realiac vera, qualis & à Dom. Christo in

cœna fuit habita, quod nostrę Catho-
licę oblationis fundamentum cum
suis execrandis erroribus videret Sa-
delius obsistere, quo minus optato
suo Antichristi aduentanti præpara-
ret viam, qua iuge Do. Christi abole-
bit sacrificium, sex rationibus media
ex philosophia petitis molitur euer-
tere. Has modo excutiemus ordine,
vt pio Lectori non sit ignotum, qui-
bus isti miselli suos perstringunt ocu-
los, ne radiantem toto orbe Euange-
licam D. Christi veritatem aspiciant.

*Sacrificiū D.
Christi in cœ-
na oppugnat
Sadelius sex
philosophicis
rationibus.
Absurda ve-
ner Sacram.
colligit Sade-
lius ex philo-
sophia, vt Tur-
cisum decuit
philosophum.*

Quod in cœna Do. sese nō immo-
lauit, quia hoc, inquit, rerum naturā
euertit, & exstinguit primariam illam
lucem nostrę cognitionis: de quoli-
bet veram esse affirmationem aut ne-
gationem. Hinc enim sequitur, san-
guinem non sanguinem, fundi non
fundi, præsens & futurum tempus i-
dem esse.

Diuina mysteria nos Christiani iu-
sto cultu, ac Deo digno venerantes,
ea ad certam fidei nobis cœlesti do-
no communicatę analogiam referi-
mus, examinamus, denique defini-
mus,

nimus; parum solliciti, an commentitijs humanæ sapientiæ, quam in Dei negotio pro stultitia ducimus, principijs concernant, nec ne. Supra sensum enim, ait Spiritus Sanctus, multa ostensa sunt tibi: circa illa igitur, nec curiosius agendum. Animalis enim homo non percipit, nedum intelligit quæ sunt Spiritus Dei.

Proindè cum hæc verè cœlestia Christi Dom. mysteria humanum excedant captum, parum moramur, si de ijs rationem vniuersis non possumus reddere philosophicam, quæ rationi humanæ per omnia faciat satis: eum eorum non sit capax, quia vera DEI est luce destituta, cuius diuinis radijs hæc humanæ menti obcœcata, obscurissima solum illustrantur.

Quibus ergo pridem rationibus & *Ratio humana in rebus si dei planè cæca.* Arriani, & nunc Seruetiani Do. Christi oppugnabant diuinitatem, hoc est humani ingenij, mentisque humanæ ac sacrilegæ Philosophiæ: iisdem nunc Sadelius suo cum Epicuri gre-

curi grege Caluianistico ex Aristotele
subtilique Euclide, immò suo gentili
Auerroë, qui à Christi religione Apo-
stata impius pates Catholicis obijcie-
bat blasphemias, argutis quidem illis
sed impijs, vereq; sacrilegis ratiuncu-
lis suffarcinatas.

Proinde quod quiritaris, Sadeli, re-
rum naturam euerti, si sentiamus D.
Christum sese in coena Deo immolaf-
se, nos rerum naturam dicimus non
euerti, sed suo, quod æquum est, serui-
re creatori; cui modis etiam homini
obscuris & ignotis summo iure obe-
diunt. Tu naturam, Sadeli, vt homo
qui à D. Paulo animalis dicitur ab ani-
ma naturali, sine prioris ex Adamo
natiuitatis origine Sacra Dom. Chri-
sti consideras, expendis, adeoque cen-
sere audes, iudicio plusquam temera-
rio mysteria. Nosti tamen in Dei ver-
bo tibi, tuisque dictum, nisi credide-
ritis, non intelligetis.

Adhæc diuina igitur ac planè coe-
lestia Sacramenta siue cognoscenda,
siue perscrutanda in primis firma, in-
dubiaque in Dom. Iesum Christum
Dei

Dei filium fide opus est: quæ Ortho-
doxis vet. PP. testimonijs imbuta, &
certis Dei verbi scripti capitulis nixa,
veram ostendit Ecclesiæ Christianæ
doctrinam: ex qua sibi satis stabit so-
lida & obmunita contra omnes hu-
manę sapientię (quę Deo inimica est,
quia eius legi, multò minus fide est
subiecta) rationes, vtvt in speciem ve-
rosimiles, aut veritatis stybio, aut pur-
purissâ fucatas Neque hæc Christiani
Euangelij doctrina primariam illam
extinguit lucem nostræ cognitionis,
vti Sadelius minimè Christianè argu-
tatur, de quolibet veram esse affirma-
tionem aut negationem.

Hinc enim sequitur, inquit, sangui-
nem non sanguinem, fundi non fun-
di, præsens & futurum tempus, idem
esse. Nihil minus, Sadel. Si esset tibi
vera fidei in Christum Iesum Dei fili-
um obedientia, viro Christiano dig-
na, videres, mi frater Sadel, videres v-
nâ cum Orthodoxis PP. nostris in Sa-
crificio cœnæ Dom. Christum aliter
se se Deo patri obtulisse, quàm in ara
Crucis. An obtulerit, an non obtule-
rit

V s

rit

rit, tibi persuadeant facilius Ortho-
doxi patres nostri, modo te docilem,
& ex fidei Christianæ principijs Euan-
gelica veritate imbuendum præbeas.
Obtulisse autem in cœna Dom. Chri-
stum, superius satis liquidò est demõ-
stratum.

*Vide supra.
Vide Apolo-
geticum pro
Concordia ad
Germanos.*

Non igitur sanguis Domini fundi-
tur & non funditur: sed idem sanguis
offertur DEO patri modo diuerso:
quia in cœna, incruento; in crucis ara,
cruento. Neque oportet, vt tuus co-
natur concludere Elenchus, vt idem
tempus sit præsens & futurum, quia
consummatio sacrificij Dom. Chri-
sti, quod per totam eius vitam bene-
dictam fuit distributum, finem ac-
cepit in ara crucis vario mysterio Pa-
tribus præfigurata, quando dignatus
est clara voce toti mundo adnuncia-
re, consummatum est, *τέλειται*, siue vt
Euangelium Syrorum habet, Hame-
sallam, Ecce consummatum est, Ec-
ce impletum est, atque finem suum
habent vniuersa: quæ olim typicis a-
pud DEI Prophetas latebant adum-
brata, imò inuoluta, implicata, my-
sterijs

sterijs obuelata. Ad hanc igitur consummationem diuinarum promissionum per Christum implendarum, etiam pertinet immolatio CHRISTI Dom. in coena: sicut & oratio illa vere aurea. Ioan. 18. Non pro eis tantum rogo: sed & pro his qui credituri sunt per eos in nomine meo. Sicuti ergo non est neganda hæc CHRISTI Domini oratio post coenam habita, esse Pontificis CHRISTI, nec illas quas in orando sapius pernox pro nobis fudit, esse Pōtificis Christi orationes, quòd cum sanguine fuso non sint ob-
lata, ita nec est negandum, fuisse verum Dom. Christi in coena sacrificium, quia citra crudelem sanguinis sacrosancti effusionem est peractum. Non nanque ceu ad scopum Propheti- cum respiciebat, quòd inde plenam suam vim esset hausturum.

Pontificales! actus D. Christi Pontifex varijs edidit temporib cuius tam fuit pro nobis orare, quam sacrificare.

Quod 2 loco adfers, futile ac viri- bus cassum est, quod nihil exstat in institutione coenæ Domini, inquis: quòd videri vnquam possit, Christū se tunc Deo pro nobis obtulisse.

2.

Quòd

Quòd multa, & ea perspicua (sed si dei oculo intuentibus) in ea existant, superius docuimus copiosè, iuxta ac solidè plura qui desiderat, Panopliã conulat, & Apologeticum nostrum pro Concordia fidei ad Germanos. Negas tu quidem Sadelii, id videri unquam posse. At ex Dominicis & verbis, & actis viderunt Apostoli patres nostri, magnus Cyprianus, magnus Basilius, magnus etiã vestro iudicio, Augustinus. Vident Christiani omnes, qui à doctrina Evangelica toti mundo per Apostolos concorditer tradita, nullo nouæ doctrinæ vento sese à vero Christi sèsu argutis sophismatibus strophisq̃ue dolosis patiuntur seduci. Quibus & nos, vt Paulus monet, humilibus consentientes, docemus abundè nobis satis testimonij esse in verbis cœnæ Dominicæ iuxta verum intellectum Catholicæ Christi Ecclesiæ tam indiuisa & intemperata sententia omnium Christi Ecclesiarum ab exordio traditum.

3. Tertia ratione asserit Sadelius, hæc doctrinam Ecclesiæ expressis Scriptu-

re locis aduersari, in quibus Christus
 Dom. semel passus, & eius oblatio di-
 citur vnica oblatio. Loca hæc, dudū
 demonstrauius, sacrificio Do. Chri-
 sti neque per seipsum in cœna, neque
 per eius Hypopresbyteros sui vice in
 Altari oblato aduersari: cū ea so-
 lum agant de illa consummata, & o-
 mnium, ita dixerim, consummativa
 vereque Pontificia oblatione: quæ à
 Christo Domino suum illud singula-
 reatque præcipuum Archipresbyteri
 secundum ordinem Melchisedech of-
 ficiū obeunte, in ara Scruicis fuit
 immolata. Ea nanque priores eius o-
 mnes & preces, & actiones, & suorū
 ieiuniorum, vigiliarum, ærumnosa-
 rum peregrinationum oblatiōes per-
 ficiebantur, omnibusq; numeris ab-
 soluebantur. Plura qui desiderat, qui-
 bus ista crambe toties recocta dimo-
 ueatur, consulat superiora.

Ratio 4. pugnare ait Do. Sacrifici-
 um in cœna oblatum, cum eo loquē-
 di genere, quo Scriptura dicat Chri-
 stum se obtulisse, nisi ratione veræ &
 realis mortis. Scriptura non negat
 plura

4.

*Non omnia
Euangelice
veritatis, &
fidei nostra
mysteria sūt
scriptis com-
prehensa.*

*5.
Cornutum Sa-
delij Enthymema.*

Philip. 2.

plura esse grati Deo sacrificij genera-
immò quædam agnoscit spiritualia,
vt Euangelij prædicatio, quod vel ter
ipse non dubitasti profiteri, bonæ vi-
tæ institutio, piaque secundum Dei
leges conuersatio. Neque oportuit
omnia scriptis comprehendere, quæ
veritate continebantur Euangelica,
vti superius est demonstratum.

Sadeli quinta ratio cornutum ha-
bet syllogismum, bicorni Enthyme-
mate perhorridum, puerulis scilicet,
innuptisque puellis istorum sophis-
matum imperitis. Oblatio Christi in
cœna, inquit, aut fuit perfecta, aut im-
perfecta. Si perfecta, cur postea pro no-
bis mortuus est?

An ignoras, Sadeli tua oblitus præ
Philosophiæ studio, Latinismi Rudi-
menta, perfectum admittere Latinis
& Comparatiuum, & Superlatiuum?
sed ita cœco raperis calumniandi stu-
dio, vt tuæ videaris oblitus & Grāma-
ticæ & nouæ Theologiæ. An non D.
Paulus se, suorumque aliquot dicit
perfectos? Quotquot perfecti sumus,
hoc sentiamus. Quis autem eos per-
fectio.

fectiores in horas factos negarit? Sic
 & ad Hébræos, iustos quosdam vo-
 cat perfectos: sed qui proculdubio in
 dies plus Euangelicæ perfectionis su-
 is accumulabant virtutibus. Fuit er-
 go perfecta Christi Domini oblatio
 in coena, quia præstitit quod illo a-
 gendum fuit tempore, atque modo.
 Sed quid vetat, vt ei perfecto illa sum-
 ma accedat consummatio? quam
 Do. Christus vltima sua voce nobis
 est testatus.

Claudem tandem sexto loco Sa- 6.
 delius adfert Elenchum: quo suum i-
 stum sophisticum claudat locum.
 Cum ei superesset probandum; Do-
 minum CHRISTVM in coena
 non obtulisse, sui oblitus labitur ex-
 tra propositum, & extra oleas cur-
 rens, claudo pede impingit in con-
 uitia: quibus Catholicos non imperi-
 tæ modo: sed & insanix, si superis pla-
 cet, condemnat. Isti offerunt, in-
 quit, in memoriam mortis, & resur-
 ctionis.

At Christus nõ potuit in suæ mor-
 tis

tis memoriam offerre. Memoria enim præteritorum est non futurorū. Christus non obtulit quidem in futura mortis memoriā. sed eā iuxta diuinas prophetias præueniendo, mandat in quem usum fieri suū velit noui Testamenti Sacrificium: nempe in suæ mortis instantis recordationem. Suis ergo in verbis, quibus docet, teste Paulo, adnunciare mortem Domini, respiciendum nobis mandat ad suam & passionem, & resurrectionem: quibus nostra continetur iustificatio, siue à peccatis expiatio, & solida cum Deo patre nostro reconciliatio. Ad hos enim fontes, nisi thesaurum malis, reducuntur omnia Dom. Christi opera, ieiunia, peruigilia, horrida spūta, dira flagella, cruces, tormenta pro nobis tolerata, & ut semel dicam, omnia Christi Dom. merita: quibus apud Deum patrem humano generi veniam meruit, & nouum cœlestis iustitiæ, ac veræ sanctimoniæ Spiritum impetrauit.

Eundem ergo scopum Catholici quotidiano in Sacrificio spectamus: quem

quem Dom. Christus in cœna, nimirum passionem, & resurrectionem: quæ cœlesti suæ ad homines legationi, operiq; diuinissimo colophonem imponerent. Quod ergo clamat Sadelius, hinc consequi diuersa esse Sacrificia Dom. Christi, & nostra: non magis consequens est, quàm ex diuersa consideratione Christi Domini aliam velle concludere fuisse piorum Iudæorum fidem à nostra hac Apostolica: quod illi venturum; nos venisse credimus.

Pergit deblaterare Sadelius misoliturus: Si cœna instituta est, vt in ea fiat commemoratio sacrificij Christi. Certè in cœna non fit ipsum Christi sacrificium, quia commemoratio non est res ipsa. At nos dicimus rem à commemoratione distinctam: sicuti est aureus à donatione, vel cibus à manducatione.

Obtulit ergo se Christus Deo Patri secūdam ordinem Melchisedech, respiciensque in futuram suam mortem (vnde illud, suam hauriret plenam, absolutamque vim) Apostolis,

X nobis.

XVIII.

Sophisma ignorationis Elenchi.

Archiepiscopus Christus Apostolos suos Episcopos iuxta spiritus S. prophetiam creauit.

nobisq̄ue ipsorum discipulis, & suis Hypopresbyteris mandavit hoc ipsū facere in sui memoriam; quod prior fecit, suum illud præcipuum novi Archiepiscopatus, secundum ordinem Melchisedech officium legitimè obiens: quo non modò sese verè obtulit: sed suos Apostolos, dictis illis verbis creavit Episcopos, nouiq̄ue sui Testamenti sacerdotes.

Agnoscit Sadelius fuisse olim à deo cæremonias, ritusq̄ue institutos ad recordationem priscorum beneficiorum: sed de sacrificio externo in cœna faciendo, nullum, inquit, vsquam verbum. Immò verba multa, mi Sadelii, modo ea mente non obstinata & peruicace, voles mansuetus & audire & intelligere. Tuo paululum diffusus, precor, ingenio, audi quid Patres Orthodoxi his de verbis sentiunt. An non ore vno asserunt? An non concordi sententia omnes tradunt, hoc Do. Christum nobis faciendum mandasse, quod ipse prior fecit. Seipsum autem in cœna immolasse, dudum est satis demonstratum. Plura ex Apo.

*Hæc superius
liquidus Or-
thodoxorum
PP. testimo-
nijs dedimus
confirmata.*

Apologetico petenda.

Quod subtextit: isti volunt Christi Sacrificium representari; quod quidē iam non est similitudo, sed identitas.

O absurdum philosophum? An nō quotannis sacrificium agni Paschalis olim animo fideli representabatur agno. Quis ita insaniat, vt hoc dixerit, cum illo primo sensu quodā non esse idem? Si verē potest idem appellari, vbi tamen erat hostiæ diuersitas; quātō magis per omnia præstantius hoc sacrificiū in Christianis mysterijs Deo Patri oblatum cum illo in S. Cruce? quum hic grata fiat eiusdem hostiæ re-
 memoratio Est ergo quædam simili-
 tudo vtriusq; nostri sacrificij, non ip-
 sa modo offerendi identitas, quæ nō
 impedit in nostra Liturgia idem Do-
 corpus offerri, quod in ara crucis illa
 cruenta fuit specie salutariter pro no-
 bis oblatum.

*Vide D. Chry-
 sost. hom. 5 in
 q. ad Timos.
 ἡ αὐτὴ δο-
 σία ὁπιέ-
 λείται.
 Eadem hostia
 cōsummatur
 Sabbato &
 Dominica.*

Vides ergo, mi Sadelii, non tam esse absurdum, quod nos de Sacrificio Christiano sentimus, quàm esset si quis dicat azymos panes Ierosolymis quotannis oblatos fuisse prorsus eosdem



*Ridicula
absurda de-
blaterat Sa-
delius.*

*Vide Ambr.
primo Offic.*

*Sese iugulat
Sadelius.*

cum ijs in Egypto pridem oblatis, cuius absurditas ex superioribus satis patet. Neque ex his sequitur nostrum sacrificium non esse Dom. Sacrificium, sed tantum eius similitudinem cum plus habeat, quam olim sacrificia legalia, quæ tantum adumbrabant absentia, aut potius præfigurabant. Nostrum autem & rem eadem Deo patri representat, licet modo alio; & similitudinem quandam pijs Dei cultoribus, & deuotis mentibus perspicuum exhibet.

Quo tandem Sadelius nobis identitatem sacrificij eripiat, ita disputando amittit veritatem, vt longius ipsa differendi aura abreptus, se ipse iugulet. Orant in sua Missa, inquit, Suscipe sancta Trinitas hanc oblationem, quam tibi offerimus ob memoriam passionis. Videant, inquit, an hæc possunt cum illa commenticia sacrificij identitate conuenire. Atqui hæc oratio Sadeli, non dicitur in sacrificio Christi, de quo in præsentiarum disputas, sed in Parasceue, qua ad illud peculiare Sacrificium Christi sacerdos

dos præparatur, & hostia offerenda pio cultui disponitur. Dicitur enim de ijs, quæ exemplo & ad prisceum sacerdotis Melchisedech typū sunt deo Patri offerenda: quæ rectè ob memoriam incarnationis & passionis Dominicæ offerenda erunt, ne simus tantis diuinæ clementiæ, immò paternæ beneuolentiæ beneficijs ingrati. Verum nihil ad sacrificium corporis dominici nondum præsentis, quia nondum consecrati, pertinent: sed victimam immolandam religiosè tātum apparant. An non hoc sophismate, Sadelii, sentis te ipse iugulasse, dum pro te adferre putas, quod tibi aduersatur, imò tuam liquidè prudentibus prodis inscitiam dicam, an insaniam, qua vni rei audebas temerè ascribere, quæ diuersis admodum sunt ascripta.

Aliud nunc aggreditur Sadelius sophisma, quo sese nimis facit ridiculum, quod firmiora nequeat adferre argumenta, quibus rem tanti momenti exagitet acriùs: Si Pōtificij volunt, inquit, cænam esse sacrificium Eucharisti.

risticum, & sacrificium Eucharisticū non potest idem esse propitiatorium pro peccatis, certè vel ex ipsorum Pōtificiorum sententia, Cœna non potest esse sacrificium pro peccatis, quāto minus Missa.

Antecedens verum est.

Verum igitur consequens: Et vi consequentis, sacrificium Missæ reijciendum est.

*Elenchus vel
pueris Cate-
chumenis ri-
dicalus.*

Ridiculum hunc syllogismum, vt confirmet iste sophus, operæpretium est audire. Probatur ex ijs, inquit, quæ à Moyse de sacrificijs traduntur, tum expiatorijs, tum pacificis, siue Propitiatorijs forma & actibus inter se distinctis: Atqui alia est ratio huius perfectissimi Sacrificij, Sadelij, quàm illorum Mosaicorum imperfectorum, infirmorum & vmbratilium: quibus omnibus varium illud & virtute, vi, & efficacia non solum respondet: sed infinitis etiam parasangis antecellit, non minus quàm Solis claritas nocturnas atrarum tenebrarum caligines. In omnem enim vsum hoc eximium pijs Dei filijs cedit sacrifici-
um

um, quod omnia semel habet media, siue remedia, quæ promouendæ, perficiendæ, atque ad eò impetrandæ salutis æternæ sunt vtilia quoque modo commoda, aut necessaria? Nihil ergo vetat, eandem hanc hostiam & vocari & esse propitiatoriam, & Eucharisticam: cum sui præstantia vtrumque contineat, nobisq; omnibus fide Apostolica piè ipsa vtentibus indubitatè atq; certo efficiat.

Frustrà igitur Sadelius ex puerilibus suæ *προσπαθείαν* Rudimentis argumenta sibi captat à Paranomasia, vt si nomina sint diuersa, propitiatorium & Eucharistia, ideircò & diuersa esse, Sacrificium Eucharisticum, & propitiatorium. Quasi verò non idem sit Rex noster Catholicus, qui dicitur Rex Hispaniarum, siue Portugallia, atque dux Geldria, siue comes nostræ Hollandia.

Porro ne quid sophismatibus Sadelij deesset, tandè adfert syllogismū, qui, vti scholæ loquuntur, ducit ad impossibile. Neq; hoc vlla ratiōe, inq̄, stare possit, hostiā esse realē & externā

autem sacrificium internum, & spirituale.

Paralogismo suo Sadelius sese capit miser.

Atqui Sadelii, paralogismo tuo incautus tibi ipse imponis. Quæ namq; diuersa sunt, tu veritatis odio exœcatus, pro eodem æstimas. Hostia Christiani sacrificij non alia ratione est externa, quam panis & vini, quæ iuxta ordinem Melchisedech à Christi Domini Hypopresbyteris eius vice offeruntur. Ipsum verò sacrificium est internum & spirituale, immò vt fides Apostolica nostra, & veritas habet Euangelica, realis: quia rem eandem continet, adeoque offert Deo patri, quam Dom. Christus in ara S. crucis pro nostra omnium salute semel cruenta illa, oculisque horrida obtulit specie.

*Ex regula Dialectica sophismata con-
fuit Sadelius
contra Christi sacrificiũ.*

Vrget prætereà noster Sadelius sacrificium nostrum non posse propitiatorium esse, cum sit Eucharisticum: quia res, inquit, denominari solet ex eo quod est potius. Eucharisticum autem est spirituale, relinquitur, vt si quod est sacrificium in cœna Domini, illud sit spirituale, ac propterea non

non reale, ac externum.

Rectè quidem docent philosophi, rem à principali accipere Denomina- tionē: sed idè non sequitur, sacrifici- um Eucharisticum non esse propitia- torium, cum ab Eucharistia nomine- tur, quia in gratiarum actionem Deo patri offertur. At quid vetat obsecro, Sadelì, rem vnam varijs valere mor- bis sanandis? An non vinum & corp⁹ nutrit, & animum refocillat, curisq; liberat? vt rectè à Socrate vim Man- dragorè dicatur habere: Sic & corpus Domini Christianis est hostia Eucha- ristica, & propitiatoria: sed alia atque alia ratione. Siquidem propitiatori- um dicitur, à diuina illa propitiatio- ne, quam & in ara Crucis, & quotidie pijs Dei filijs operatur, & in finem vs- que mundi operabitur propter inex- haustum meritorum filij Dei thesau- rum, quem Dei benignitas adoptiuis suis filijs liberalissimè per vnicū pro- pitiatorem Christum Iesum postulā- tibus impartit, quemadmodum fides habet toto orbe Christiana, & ex Dei verbo Patres Orthodoxi nobis ad-

Res vna po- test varia effi- cere.

Vinum Man- dragorè ha- bet vires So- crat.

struere concordi sententia non dubitarunt.

*Sadelius triū
phum antè vi
ctorem sibi
canens, se ipse
coronat stali
dus.*

Post agonem istum sophisticum, XIX. sophisimatibus instructum cum sese victoriam depugnasse putaret Sadelius, se ipse coronat, triumphumque canit: sed ante victoriam. Ecce nobis redit inquit, nostra conclusio, *Ενευόσιον*, in Missa non fieri verum, reale & externum sacrificium propitiatorium pro peccatis: Nihil minus Sadelii: Stat enim nobis inuicta doctrina, vobis contrario Dei verbo fulta, & indubia SS. Apostolorum traditione constabilita, Orthodoxorumque Patrum testimonijs liquidissimis confirmata. Sed callide tu vrges illud externum, quod sophisticè tu ad similitudinem hostiæ in cruce oblatæ torques. Nos externum negamus, nisi quadam immolationis mysticæ ratione: quæ in oculos recurrit, sed interius est Spirituale, vt & in Christi Sacramentis aliud in terra videtur, aliud in cœlo peragitur. Aliud in baptifmo anima percipit, aliud videt, sentit & censet ad eò corpus.

Quod

Quò autem Sadelius semel, vti per strenuo Antichristi præcurfore dignum foret, sacrificiū illud iuge Christi Dom. aboleret, funditusque, si fieri queat, tolleret, solidam illam ab orthodoxis Patribus, ante annos plus mille traditum vtriusque sacrificij distinctionem conatur euertere. Sic enim argutari non puduit. Omnis distinctio, quæ non solum destituitur verbo Dei, sed ei aduersatur, sibi que ipsa contradicit, ridicula est, nedum Theologica; ac propterea à Theologicis disputationibus reijcienda: Distinctio sacrificij cruenti & incruenti à Pōtificijs in hac quæstione proposita, nō solum destituitur verbo Dei, sed ei aduersatur, sibiq; ipsa contradicit. Quare distinctio sacrificij cruenti & incruenti à Pōtificijs in hac quæstione proposita ridicula est, nedū Theologica, ac propterea à Theologicis disputationibus reijcienda. Sophus iste tam est sui impos, vt mente sua non memore, ipsemet vtatur distinctione sacrificij cruenti, & incruenti, quam vult Scholis explosam Theologicis.

Temeritas Sadelij, qua nobilem illā distinctionē sacrificij cruenti & incruenti conatur schola Theologica exturbare.

Falsum sibi sumit sophista.

Sadelius sui oblitus, eadē vtitur ipsemet distinctione: quam in Catholicis inprobat amē.

In confirmatione namque sui argumenti, ait nobis commendari ab Apostolicis sacrificia incruenta, quia spiritualia, ut prædicatio Euangelij, & alia bona opera.

Multa Christiano homini credenda, & seruanda, licet Scriptura non meminerit.

Sed nunc ut suam minorem statueret conetur Sadelius, videamus. Ait enim distinctionem hanc destitui verbo Dei. Respondemus Sadeli, multa nobis credenda, nedum vsu, & sermone obseruanda: quæ in scriptura non reperiuntur. Qualia nosti, ac ni fallor (quod tamen, vehemèter vereor) credis Homóusion, Theothocos, Sacramenta, ut vos quidem duo sacrilegè ignobili, inconstantiq; vulgo confingitis, & similia.

Calvinus suam damnat imperitiæ Sadeliū, Scholasticæ Theologum.

Certè tuus Calvinus varias rei necessitate coactus admittit distinctiones, quæ in verbo Dei non exstant, vti est conclusio ex necessitate consequentis, sed non consequentis, aliq; plurima.

Cæterùm quod ais, arroganter sanè affirmamus, noui testamenti temporibus, inquis, vnicum reale, æternumq; sacrificium extitisse, quo legalium

galium umbræ impletæ sunt, & abrogatæ, ac proinde nulla superesse Christianis sacrificia offerenda, præterquã spiritualia.

Quod tu affirmas, & nos quodam sensu confitemur: sed tua non est rata conclusio. Etsi enim agnoscimus vnicum esse noui Testamenti temporibus sacrificium, puta corpus Dominicum, quod semel in cruce fuit illa secundum Prophetias specie horrida prorsus, atque cruentata, diriterque mactata, consensu tamen totius Ecclesiæ Christi Catholicæ, atque Apostolicæ firmiter, indubitatumque tenemus, ei vnico minimè aduersari, quod pia mater nostra per sponsi sui vicarios Deo patri suauissimum in odorem toto orbe offert, pro pace, pro concordia, pro salute suorum filiorum viuorum & mortuorum. Quod autem hæc oblatio Ecclesiæ non repugnat illi in ara crucis sacrificia, dudum est ostensum.

Posthæc Sadelius agnoscit, quædã esse in Noui Testamenti temporibus sacrificia spiritualia: sed vti diximus, sui

Ieiunium, orationem, & eleemosynā Sadelius sophisticè vocat incruenta sacrificia.

Incruenta vocabulum Latinis aliud sonat, aliud Theolo PP. Orthodoxis. Sic & in Concilio Ephesino, & alibi:

Anemaſtum quid Theologis PP.

fui immemor vocat incruenta, quia spiritualia. At quis Orthodoxorum PP. mi Sadeli, opera pia ieiuniorum, orationum, eleemosynarum, aut etiā prædicationis Euangelij, sacrificia vocavit incruenta? sed rabie spiritus vertiginis furibundæ diffensionis percutus, susque deq; fert, quid dicas modò matri tuæ Ecclesiæ Christi Catholicæ contradicas. Hoc autem vocabuli tuis libenter concedis, quò maiorem & certiore tibi pares victoriam. Sed nondum vicisti Sadeli? Etsi Latinis vox incruētum sonare videtur, quod sine cruore, sine sāguine est, vt pugna incruēta, & arma ille retulit incruenta: scholæ tamen Christianæ aliud notat, quæ suorum sequuta Orthodoxorum Patrum, Nazianzeni, Cyrilli, Damasceni, & aliorum vestigia, quotidianum Ecclesiæ Christi Sacrificium vocat incruentum, quod sine horrida cruoris effusione quotidie peragitur, quod ex voce ἀνάμακτος magis elucescit. Vtuntur autem eodem vocabulo Sacrificijs apto Patres Orthodoxi cum primis Græci: quorum testi.

testimonia etiam Concilij vniversa-
libus inferere non dubitarunt, vt eius-
dem sese doctrinæ esse orbi toti euidẽ
tius liqueret.

Deinde subtextit nugator, siqui-
dem eo sensu loquerentur Pontificij,
longè abessent à suis erroribus. Ne-
que nos, Sadeli, quodam sensu nega-
mus posse dici quotidianum Eccle-
siæ Christi sacrificium spirituale (sicu-
ti corpora post resurrectionem, D.
Paulus quodam sensu vocat spiritua-
lia) quod spiritu agatur, & Spiritu san-
cto operante conficiatur: sed meritò
vestras suspectas habemus insidias so-
phisticas, argutasque cauillatiuncu-
las, vt si vobis concedamus esse spiri-
tuale, mox tu tua ex indocta, immò sa-
cilega sophistica inferas: Ergo nõ est
corporale.

Vos enim odio Christi Dom. cor-
pore eius nobis in Sacramento S. Eu-
charistiæ à Christo Dom. relictum ne-
gatis, reiicitis, respuitis, quod non fa-
ceretis, si Christum amaretis, quem
si amaretis, eius sponsam, atque di-
am cum illa concordiam coleretis,
neque

*Caluinistas
Christum odisse
quia eius S.
corpus negat
in S. Euchar-
istia præsertim,
& Ecclesiam
eius paricida-
liter dilace-
rant.*

neque atroci isto sophismate charissimi
ma eius membra tam paracidaliter
tota Gallia & Germania, eheu dolor!
diuideretis, diuelleretis, dilaniaretis.

*Cuculus suū
semper inge-
rit Coccyum*

Cæterum quod addis, sacrificij in-
cruenti & realis nullum in Apostoli-
cis scriptis reperiri verbum, nos, in-
quis, affirmamus, nihil aliud quam tu-
um insulsum, immò ridiculum repe-
rire Coccyismum. Verum istud supe-
rior cap satis superq; fuit refutatum.

*O plumbeum
pugionem Sa-
delij contra
quodidianum
sacrificium.*

Porrò hanc distinctionem sacrificij
Christiani aduersari verbo DEI, ita
planum facimus, inquit Sadelius. Si
Christus non tantum obtulit sese cru-
ento sacrificio, quum pro nobis mor-
tuus est, sed etiam quotidie pro no-
bis offertur sacrificio incruento, er-
go plura sunt & varia eiusdem Christi
sacrificia. O syllogismum verè plano

*Planus & im-
postor Sadelij
us, vana im-
peritis suis le-
cturibus polli-
cetur.*

dignum? qui promisso planum se fa-
cturum aduersari verbo Dei quoti-
dianum Ecclesiæ Christi sacrificium,
varij generis miscet sacrificia. Planū
foret quod conatur demonstrare, si
assumeret Christum sese offerre quo-
tidie cruento sacrificio, iam demum
ve.

crificium, quale vnum illud in S. crucis ara peractum delendis totius humani generis peccatis, abundè fuit factis, sicuti & sanctificandis, & iustificandis, & consummandis in Deo vocatis omnibus. Illud autem quod penultimo Sadelius contra hanc distinctionem D. Pauli loco improbè molitur, ingenium eius pijs parum candidum, manifestè declarat, quodeum à genuino detortum sensu; contra quotidianum vibrat sacrificium. Sine sanguine, inquit Sadelius, non fit remissio. Consulamus pie Lector D. Paulum, an eius sententia sit, non fieri in Nouo Testamento peccatorum remissionem, sine sanguinis effusione. An non in Baptismo? An non in poenitentia fit vera peccatorum remissio, in Baptismo negabis, scio, Sadeli, quæ tua est impietas (docetis enim pueris non esse necessarium. Ecquid in pueris obsecro Sadeli, remitteret, quibus iuxta vestrum Pelagianismum negatis esse quod expietur, expurgetur, remittatur) An non in Baptismo illo trium millium Iudæorum

Act. 2. f

rum die Pentecostes cōuersorum, ne
gabis factā peccatorum remissionē?

At quānā fuit tunc sanguinis effusio?

An D. Petrus Simoni Mago negauit

futurā ipsi peccatorum remissionem

quod non esset sanguinis effusio? An

non Euangelico Paralytico, & Mag-

dalenæ, ipsi denique D. Petro, & Tho-

mæ sine sanguinis effusione contigit

remissio peccatorum, fit ergo sine sã

guine peccatorum remissio in nouo

Testam. quod D. Paulus abs te Sade-

li, sacrilego scelere deprauatus, de Iu-

daicis siue Aaronicis pronunciat Sa-

crificijs.

Sic enim paulò antè hæc auulsa

suo à corpore Sadeli fraude verba do-

cuerat. Et omnia penè in sanguine se-

cundum legem mundantur. Et sine

sanguinis effusione non fit remissio.

Viden Lector candidè, D Paulum,

de sanguinis effusione loqui Mo-

saica?

Sophistica prorsus eadem Sadeli-

us utitur, quando postremum suum

ex D. Pauli verbis deartuat, obtorto-

que collo trahit locum.

Y 2

Vbi

Matth. 9. a

Luc. 7. f. 8.

22. f. 1

Ioan. 20. f

Sacrilega &

fraudulenta

Sadeliij corru

ptela in Diuñ

Paulum.

Hebr. 9.

Vbi est peccatorum remissio, non est amplius oblatio pro peccatis, &c. Sed qua fide agat Sadelius, ipse D. Paulus interrogatus declarat; clamaturus, istum furem & latronem in crucem meritò agendum. Initio nanque capite 8. ex veri Pontificis definitione D. Paulus necessario Syllogismo concluderat, oportere Deo. Christum habere in cœlo, quod offerat. Omnis nanque Pontifex, inquit, ad offerendum munera & hostias constituitur. Vnde necesse & hunc (Dom. Iesum, quem superius dixerat, sanctorum & tabernaculi veri cœlestis, quod fixit Deus, & non homo ministrum, siue *ἱερέως* Sacrificatorem) necesse est, inquam, hunc Dom. Christum habere aliquid quod offerat. Non ergo Christi sacrificio repugnat, si fiat post remissionem pro peccatis in ara crucis factam. Sed D. Paulus capitulum à Sadelio adductum, dixit de oblatione Testa. Veteris pro peccatis, quæ frustra nunc offeratur, postquam per noui Testam. sanguinem facta est vera peccatorum remissio.

Post

Post has impostoris artes audiamus, ecquid subtextat Sadelius. Et per multa in hanc sententiam, quæ proposuimus, inquit in argumento quarto. Quàm nihil nobis aduersentur illa sparsim corrasa D. Pauli loca, illic plus satis, ni fallor, est demonstratum. Conatur hic igitur Sadelius concludere. Ex quibus intelligitur, inquit; oblationem & vnicam, & semel factam non sæpè faciendam esse. Procul dubio, mi Sadeli frater, eo sacrificandi modo, quem postulabat illud Do. Christi Archiepiscopi nostri peculiare sacrificium: quo Aaronicas implevit futurorum umbras, eo vnico & nos contenti nõ desideramus Dom. Christum iterum subire Crucis tormentum; persuasi eo & solo, & vnico peccata totius mundi remissa, condonata, abolita, quod si & vos crederetis, officinam vestrorum sophismatum facilè sentiretis exhaustam. Ea verò est Sathanica vestra iustitia imputatiua, de qua modò nihil agendum fusiùs, quæ sua sese impietate sacrilega enecat. Atqui obstrepat Sadelius, si

vera esset ista distinctio, inquit, cruenti & incruenti sacrificij, quis non videt iacere Apostoli argumentum, nō vt sæpè se offerat, alioqui oportuisset eum sæpè passum fuisse. Iaceret quidē Sadeli, hoc D. Pauli argumentū, si plenariam negaremus cruento illo Christi Do. sacrificio factam peccatorum remissionem. Atqui docemus, ita esse perfectam illam Dom. Christi in ara Crucis factam oblationem, vt alia prorsus sit opus nulla.

Vnde & nos rectè dicimus, non oportuisse Do. Christum sese offerre sepius, illo nimirū modo, quem postulat proprium archipresbyteri noui testam. officium, quo cum suo effuso sanguine oportuit firmare nouū testam. sicut prius erat sanguine brutorū dedicatum. Hoc semel iuxta typos Moisaicos, & vmbra Aaronicas ritè peracto, nihil oportet Dom. Christum sepiè pati. Vnica enim illa oblatione cōsummauit sanctos, & nobis aperuit regni cœlestis viam.

Obgānit Sadelius, imò sæpè potest offerri Christus (inquit) siquidē verū dicunt

cunt pōtificij) nec tamē ppter eā pati.

Ecquid mirum Sadeli offerri sēpius Do. Christum, & à se in coelis teste D. Ambrosio, & à suis Hypopresbyteris, teste D. Cypriano : nō tamen cum pati oportet sēpius, quia non illa cruenta sese post illam in S. cruce peractā offert specie? At peregrinum istud, & Heterodoxum commentum clamat conuiciator Sadelius, p̄cedit Apost. quū ait duo hęc esse cōsectaria *ἐκ ἀνάγκης*, Christum sēpē offerri, & Christū sēpē pati. Necessaria est sanē, mi Sadeli, consequentia D. Apost. Pauli: si tamen noris hoc Dei verbum fide sana rectē, Christianeq; secare: quod proculdubio faciunt, quotquot Orthodoxos sequuti PP. germanos scripturarū interpretes D. Paulū intelligunt iuxta genuinum suæ disputationis filium, aduersus semichristianos Iudai-zantes institutum. Hi cum non putarent sibi sufficere Do. Christi Iesu Nazaren i sacrificiū, in ara S. crucis semel peractum, ad priscum Moysen suum relapsi, ad Aaronica recurrebant sacrificia, hinc suis peccatis petētes aut veniā, aut indulgentiam.

Eos vt redarguat D. Paulus, solidif-
simis euincit argumentis, sufficere o-
mnibus omnium hominum pecca-
tis vnicum illud Dom. Christi iacri-
fici-um : quo s. ipsum immaculatum
suo in sanguine iuxta typica illa suo
per Spiritum Sanctum semel obtulit
Deo patri. Quod cum sit perfectissi-
mum, nullam admittit iterationem,
nullam postulat repetitionem, nullā
patitur additionem. Cui cum non re-
pugnet oblatio Christi Dom. quæ si-
mili non fit modo, & cruenta sui san-
guinis effusione, non oportet tali sa-
crificio adiunctam esse passionem, &
sanguinariam Domini mortem.

*Quotidianū
Dom. Christi
sacrificium,
vnde conuin-
catur verè A-
postolicum.*

Dogma igitur Catholicæ Christi
Ecclesiæ de quotidiana dominici cor-
poris oblatione, non est, vti blasphe-
mas Sadelii, Heterodoxum : sed Or-
thodoxum, non peregrinum, sed ge-
nuinum, & Euangelicæ doctrinæ ger-
manissimum. Itaq; cum Paulina do-
ctrina ad Hæbræos tradita, de Chri-
sto semel offerendo, adeò illud dog-
ma Ecclesiæ non pugnat, vt indè li-
quidò conuincatur Apostolicum,
quod

quod toto concorditer orbe Christiano semper à suis vsque incunabulis fuerit ita factitatum, & quotidiano vsu in Christianorum mysterijs obseruatum. Alioqui ostendant Aduersarij nostri Christomachi, quando hoc offerédi genus fuerit in Christianam Ecclesiam inuectum, à quo inuentū, à quo tādē institutum. Quod cum ex Christiana historia nequeant ostēdere nos iuxta illud aureum D. Au. D. Aug. con- tra Donat. gustini axioma concludimus. Quia in Concilijs generalibus non inuenitur institutum, sed toto concorditer orbe obseruatum, ita fuisse à SS Apostolicis traditum est, sentiendum.

Quod ita se habere liquet ex diuinis PP. Orthodoxorum scriptis: quorum testimonia nunc foret longum pertexere. Si cui animus est, verum Ecclesie Christi super hac re consensum agnoscere, cōsulat doctissimum Anto. Democharis Th. Parisien. opus de Sacrificio, quo Demonstrat in omnibus Christi Ecclesijs semper hoc fuisse oblatum.

Liquide huic Euangelicæ veritati
 Y 5 cum

*Adulterat Sa-
del. D. Pauli
sententias nō
intellectas.*

cum Sadelius nequeat resistere, ad ca-
lumnias Sophisticas, imò impuden-
tia refugit mendacia: quibus loca D.
Pauli ex nō intellecta ad Hebręos Epi-
stola detorquet, atque doctrinam Ec-
clesiæ Catholicæ falsa sua glossa scele-
reratissima inuertit, deprauat, falsat.
Apostolus affirmat, inquit, sine san-
guine, non fieri remissionem pecca-
torum; contrà Pontificij dicunt, fieri
remissionem peccatorum incruento
sacrificio, hoc est, sine sanguine. O te
impudentem Sadeli! quem non dis-
puduit vno in argumento temetip-
sum geminatae contaminare foedæ
falsitatis nota. Diuus Paulus enim
illud non de noui Testamenti hostia
dixit; sed de Mosaica, vti ostendimus
cap. super. Deinde quod tanta affe-
ris arrogantia, docere Catholicos, fi-
eri remissionem peccatorum incru-
ento sacrificio, hoc est, vt tu inquis, si-
ne sanguine, quænam tibi frons est,
Sadeli? quænam tibi mens? an aliquid
tibi superest timoris diuini, nedum
sanæ mentis? quod contra tuammet
ip.

ipſius conſcientiam (modò vel micu-
 la tibi ſit eius reliqua) audeſ ſcribere,
 Catholicos intelligere ſacrificium in-
 cruentum, hoc eſt, vti interpretaris,
 ſine ſanguine. Si ſine ſanguine no-
 ſtrum eſt ſacrificium, quid ergo à
 nobis diſſentis? Cur nos atrociter a-
 deò non deſinis oppugnare? cur non
 abſtines maledicere, atque nos vt
 inanes Cyclopaſ, & cœnæ Thyeſtææ
 conuiuaſ, cum illiſ athæiſ olim pa-
 ganiſ blaſphemare? Noſti ergo noſ
 non aſſerere, nobiſ non deeſſe Do-
 minicum ſanguinem in tremendo ſa-
 crificio: audeſ tamen diabolica in-
 uidaſ mentiſ cœcitate percuſſuſ, aſſe-
 rere, noſ docere fieri peccatorum re-
 miſſionem ſine ſanguine. O rabidum
 tuum calumniandi ſtudioſ, à quo
 Deuſ tui miſertuſ te liberet, ac ſuaſ
 reſtituat Euangelicæ veritati cogno-
 ſcendæ.

*Sadelius con-
 tra ſuammet
 conſcientiam
 Catholicos op-
 pugnat.*

*Tertull.
 Iuſtinuſ.
 Athanaſ.*

Postremò & illud adfers. Item A
 poſtuluſ negat, vllameſſe ampliuſ ob
 lationem pro peccatiſ, poſteaquàm
 pcc-

*Faluſum Ca-
 tholicuſ aſſerit.
 Sadeliuſ.*

peccata per CHRISTUM remissa sunt: contra Pontificij affirmant, superesse quandam oblationem pro peccatis, nempe iacruentam. Atqui ad sententiam D. Pauli nos hoc non docemus: sed Sadelij docemus, nullam superesse pro peccatis hostiam post Dom. CHRISTI mortem, quæ sit ad illum modum immolanda: quo oportuit Messiam singulare suum illud obire sacerdotium, secundum ordinem Melchisedech in dira illa S. Crucis ara, ut effuso iuxta typos Mosaiicos suo sanguine aboletur peccatum. Stolidè nos igitur, Sadelij, rides de bello cum Apostolica doctrina consensu: quem nobis Catholicis, & cõcors Ecclesiarum omnium Christi, & consentanea veterum Orthodoxorum Patrum sententia constabilire probatur. A quorum consensu, & vnanimi doctrina, sitnè verus verborum D. Pauli sensus petendus, an à vobis aliquot homunculis, iudicet æquus rerum arbiter.

Trafonica infelicitas Sadelij iactantia.

Quò sese Scholasticum demõstret Sadelius, Theorema nobis ex sua Logica, siue humana Metaphysica consar-

farcinare aggreditur, quod ita putat
 inuictum, vt profiteri non pudeat,
 catholicis videndū inquit, an possint
 labefactare. Quoties unque exstat in
 Scripturis, inquit, propositio vni-
 uersalis, nulla est ei opponenda distin-
 ctio, nisi nitatur certis, dilucidis, ex-
 pressisq; ipsius scripturę verbis ex qui-
 bus sine controuersia *ἐνσάστis* fidei pos-
 sit. Isti sophi S. Theologiam ad suas
 humanas suę Logicę conantur redi-
 gere, nescio quas regulas; quasi eis ver-
 bum Dei sit obnoxium, aut secūdum
 eas intelligendum. Sed neganti præ-
 clarum istud tuū Sadeli, Theorema,
 vnde obsecro, confirmes? Alioqui, in-
 quit, nullum in theologia dogma cer-
 tum esset, semper exciperetur id, qd̄
 esset in quæstione positum. Imò Sade-
 li, omnia in Theologia sunt dogma-
 ta certa, non quia vestris respondet
 humanę sapientię, quę apud Deum
 stultitia est regulis: sed quia metiēda
 sunt ex verbo Dei, quod nobis vnica
 est dię illius atq; nostrę cęlestis veri-
 tatis regula. Donec igitur Ecclesiasti-
 ca stolidis humanę philosophię niti-
 mini

mini metiri dogmata, nunquam eris Christiani quemadmodum liquet de veritate corporis domini in Eucharistia, de Originali peccato in pueris Christianorum, de perpetua B. virginis Matris Mariæ virginitate, alijsque non paucis.

Eisdem sophismatibus & vestrum, (si modò eā ex animo creditis; certè plurimi vestrum non credunt Epicuri de grege porci) de resurrectione corporum nostrorum fidem oppugnent philosophi, sicuti & de animæ immortalitate, alijsque sexcentis; quæ videmini nobiscum concorditer obtinere, si ad rationes humano sensu & intellectu fabricatas examines, & nō potius, inuictō fidei Christianæ scuto, munitus gladio spiritus, quod est verbum Dei, ea semel præcidas, quod dum Catholici facimus, noli de tua mi frater Sadeli gloriari victoria: quæ theoremata Theologica nobis tua ex *προκαταδετα*, siue stulta humani ingenij speculatione audebas fabricare. Ex hac inflāte nō sciētia, sed vera inscitia tibi illa excidit blasphemia, dogma
de

de incruento Christi sacrificio merū esse deliriū, & Apost. incognitum, qđ ex ipsorū, inquis, scriptis cōfirmam⁹.

Tantum abest Sadeli, vt hoc ex D. Paulo cōfirmaris, vt Paulina testimonia abs te detorta, deprauaris, & adulteraris, à genuino ea distorquens sensu; vt superi⁹ est locis aliquot euictū. Quòd porrò ingeris, omnes distinctiōnes debere huiusmodi esse, vt singulæ ipsorum partes manifestè luceant in Scriptura, non est veritati consonum: cum non solum occurrant distinctiōnes, quæ in scripto Dei verbo non habentur; sed dogmata etiam non leuia, nec ea paucula, quæ nullam ex Scripturis accipiant demonstrationem, vti ostensum est.

Dixerat Sadelius in sua Minore, Dogma Christianum de quotidiano sacrificio sibi ipsi contradicere, quod ita manifestum se facere gloriatur: Sacrificium, in quo victima sacrificatur DEO, non potest sine sanguinis effusione sacrificari, cū imolatur DEO. Sumis tibi istud audacter Sadeli: sed verbi DEI testimonio

monio tibi ad liquidam eius confirmationem erat opus. Quod tibi futurum sentiens, subtexis Ethiologiam: Victima enim dicitur sacrificari, cum immolatur Deo: An non victimæ variæ sacrificantur Deo: quæ cum sanguinis effusione non sunt coniunctæ.

An non Anna suum Samuelem domino Deo gratam sacrificavit victimam, siue acceptissimum Sacrificiū? An non Nazarei sanctificabantur, & sacrificabantur DEO citra sanguinis fusionem? Proinde inanis tua est conclusiuncula. Quare qui dicit, inquis, Sacrificium, cuius victima Christus est, esse incruentum, ille dicit sacrificium non sacrificium. Possent isthæc argutia locum inuenire, si quis tam inueniretur mysteriorum Christi rudis, vt asserat, sacrificium Christi in Cruce potuisse non esse cruentum: sed cum Catholici distinguamus, aliter Dom. Christum in Cruce obtulisse Deo patri, aliter suo in quotidiano Sacrificio, suorum opera Hypoprobiterorum tua captiuncula, suos li-
quidò

quidò cuanescit in fumos.

Non est autem consequens Sadelii, quod afferis: si incruentum est, non est inquis, igitur Christi sacrificium, quando quidem fusio sanguinis est de ratione huius sacrificij. Est quidem, vti saepius diximus, de ratione sacrificij Dom. Christi in cruce peracti, quod Pontificalem cum postularet actionem, citra sanguinis non potuit fieri fusionem. Ita enim & prophetiæ, sacrificia Mosaica, & typi postulabant Aaronici. Sed eo confecto nihil vetat Dom. Christum sese patri Deo immolare, tum in cœlo, tum in terra, suos per vicarios, vt æternum suum expleat sacerdotium, non minus sese pro nobis offerendo, quàm pro nobis interpellando. Vt enim fuit pro nobis exauditus, pro nobis in cruce orans; ita impetrauit (se offerendo Patri in cruce) quod ambibat, nimirum induciam totius mundi salutem, quæ aliunde non potest peti, quàm ex fonte illo iuxta D. Zachariæ prophetiam in ara crucis aperiendo; ex quo, nisi qui petit, irrigari salubriter nequeat. Ne

Oblatio Christi pro nobis hodie non magis sacerdotio Christi repugnat, quàm eius hodierna interpellatio.

Z quid

quid sophisticarum suarum nugarū
omittat Sadelius, sibi illud arripit de
triuio. Respondent, inquit, fusionem
sanguinis esse sacramentalem: ex qua
vocula strenuè sibi cassas araneorum
telas conflant: quibus capiat incautos,

*Falsum sen-
sum doctrinae
Catholicae si-
bi fingit im-
probis Sade-
lius, ne calum-
niandi desit
leges.*

Huc enim Catholicos ait ridere. In
coena non fieri ipsum sacrificium ve-
rè, sed sacramentaliter; hoc est sacram
Domini coenam, esse Sacramentum
illius vnici sacrificij, quod semel Do-
minus Christus fecit pro nobis.

At falleris, toto coelo, Sadeli, fal-
leris. Quando Catholici sacrificium
Missae appellant sacramentum, vox
est generica pro mysterio, non pro il-
la specie, qua septem Catholici credi-
mus esse diuinitus in promouendam
humani generis salutem, instituta.
Sic PP. Sacramentale vocarunt codi-
cem Sacramentorum, qui pios habe-
bat ritus: quibus hoc Christiani my-
sterij sacrificia conficiebantur. Ne-
que consequens est Sadeli, Si sacra-
mentalis est fusio, ergo sacrificium
non verè fit, sed sacramentaliter, id-
que vi παρανώμασις. Sophistica est cap-
tiun-

*Sacramenta
pro mysterio.
Sacramenta-
lis codex, qui
habet myste-
riorū ritus.*

tiuncula ex voce Sacramenti : quod aliter dicimus significare, quando tribuitur Baptismo, aliter quando sacrificio, quia posteriori modo solum notat mysticam actionem, quæ in officio diuinæ oblationis non est Sacramentum, ex illis septem propriè dictis: sed hoc fit in consecratione. Corpus ergo Dominicum, in Liturgia Christiana est & Sacramentum, quando sumitur: & est sacrificium, quādo vice Christi Deo immolatur; quemadmodum superius liquidis P. P. Orthodoxorū testimonijs, est viro Christiano, mansueto, & non contentioso, sed humilibus consentienti demonstratum.

Discussis nunc illis verborum Sadelii fumis, & foetidis sophisticorum XX. syllogismorum nebulis, Evangelico Christi lumine piorum mentibus depulsis, manet inuictum, & stat immobile illud iuge Dom. Christi Iesu sacrificium, quod iuxta prophetias suæ Catholicæ instituit Ecclesiæ, vt in diem sui vsque aduentus à Christiano populo, Patri Deo in sui offer-

retur recordationem, quemadmodum concorditer toto orbe Christiano in hunc usque diem religio verè Catholica obseruat. Ex ijs quæ ad Sophisticos Sadelij nodos modò respondimus, nō erit difficilè vel semidocto Theologo ceteras eius difflare nugas verè bullatas, & ampullatas, quib. inuicta Eccles. Catholicæ Christi fundamenta casso & inani conatur labore subuertere. His aliàs respondebitur fusiùs, si Deus & ocium tranquillus, & valetudinem largiatur meliorem, vitamque prolixior.

Laus Domino Deo Patri nostro in
Ecclesia Christi Catholica.

FINIS.